UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# D. Marcvs Evangelista. Rodolphi Gvaltheri Tigurini in Euangelium Iesu Christi secundum Marcum Homiliæ CXXXIX.

Gwalther, Rudolf

[S.l.], 1570

VD16 W 1048

Capvt II.

urn:nbn:de:hbz:466:1-71833

Visual Library

*alios verò carnalium beneficiorum deſyderio excitatos fuiſſe, ex alijs ſimilibus locis facilè conijcitur. Docemur autem nunquam omni in vniuerſum fructu carere qualemcunq; Chriſti cognitionem. Nec enim deſunt, qui etſi primò ſpe temporalium bonorum excitentur, mox tamen deguſtato Euangelicæ doctrinæ fructu ingentes progreſſus faciunt. Quòd ſi verò tantum apud iſtos potuit mundati leproſi miraculum, multò magis nos vniuerſali humanæ redemptionis beneficio excitari conuenit, vt Chriſtum Ieſum amplexi, illum vnum ſectemur, & colamus; cui debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.*

# CAPVT II.

## HOMILIA XVI.

ET iterum intrauit Capernaum poſt dies aliquot, & auditũ eſt quòd in domo eſſet: & protinus congregati ſunt multi, adeò utíam non caperent eos nec ea quæ circa ianuam erant loca, & loquebatur eis ſermonem. Et ueniunt ad eum ferentes paralyticum, qui à quatuor portabatur. Et cum nõ poſſent appropinquare illi præ turba, nudauerunt tectum ædium, in quibus erat perfoſſoq; tecto demittunt grabbatum, in quo paralyticus iacebat. Cum autem uidiſſet Ieſus fidem illorum, ait paralytico: Fili, remittuntur tibi peccata tua.

*Argumentum & uſus præſentis loci.*

*ETSI vniuerſa ſcriptura vnanimi conſenſu omnem noſtræ ſalutis rationem in vno & ſolo Ieſu Chriſto monſtret, ea tamen eſt noſtræ carnis tarditas atq; corruptio, vt illum difficulter admodum Saluatorem agnoſcat, maximè ſi quando aduerſa & tentationes incidunt. Non temere ergo tam multis miraculis ſe eum eſſe declarat Chriſtus, qui in ſcripturis prædicatur. Vidimus ex his quædam hucuſq;, quæ illum animabus noſtris & corruptæ naturæ mederi docent. Subiungit his Marcus nouum & inſolens planè, quo hoc ipſum plenius illuſtratur. Nam paralytico, qui propter peccata omnibus membris captus decumbebat, primò quidem peccatorum remiſsionem offert, deinde verò corporis quoq; valetudinem & integrum membrorum vſum reſtituit: Ita nimirum re ipſa demonſtrans, ſe animarum ſimul & corporum ſaluatorem eſſe, qui homines ita reſtituat, vt ad omne opus bonum & ad ſalutem capeſſendam idonei ſint, qui ex ingenita corruptione alioqui nihil aliud quàm peccare poſſunt. At quia ſimul multa alia concurrunt obſeruatu digniſsima, ſingulas totius hiſtoriæ partes ex ordine tractabimus.*

*Chriſtus redit Capernaum cum fœnore.*

*Orditur à temporis & loci notatione Marcus, quando Chriſtum in vrbem Capernaum poſt aliquot dies rediſſe ſcribit, vnde antea digreſſus erat, tum vt alijs quoq; ciuitatibus prædicaret, tum vt liberius precationibus vacare poſſet. At aduentus illius fama excitati ciues turmatim ad illius hoſpitium confluunt, & inter hos nonnulli etiam ex phariſæorum & ſcribarum ordine, ſicuti ex ſequentibus patet. Hinc igitur arrepta occaſione illis verbum ſalutis prædicat, & ſimul ſanandi virtutem exerit, vt Lucas teſtatur. Ita verò non abſq; fœnore eò redit Chriſtus, vnde ad tempus diſceſſerat. Eſt hoc illi perpetuum. Nam à mortuis quoq; glorioſior ad ſuos diſcipulos redijt, & olim in nouiſsimo die illuſtriſsimus glorioſiſsimusq; in nubibus cœli veniet, vt ſuos planè aſſerat, quos interdum inter huius ſeculi tribulationes omnino deſeruiſſe videtur. Horum nos meminiſſe conuenit, ſi quando aduerſis preſsi & tentationibus obruti, Chriſtum noſtri curam depoſuiſſe putamus. Ita enim nos exercere ſolet, vt carnis ſocordiam excutiamus, & maiori gratiæ & ſalutis ſuæ deſyderio inflammemur, cuius iucundiſsima ſimul & ſaluberrima illuminatione tandem ſuos exhilarare conſueuit.*

*Luc. 5.*

*Chriſtus docet, & inter docendum ſanat ægrotos.*

*Imprimis autem obſeruabis, quòd reuerſus in vrbem mox docet, & inter docendum virtutem ſanandi exerit. Admonet hoc, quanta ſit doctrinæ Euangelicæ dignitas, & quàm ea nobis ad ſalutem conſequendam neceſſaria ſit. Conſtat enim hominem ex ingenita corruptione nihil eorum ſapere, quæ ſunt ſpiritus Dei, nec modò ad malum procliuem, verumetiam infirmiorem eſſe, quàm vt peccati*

deſyderijs & corruptis affectibus reſiſtere poßit: cuius rei exemplum in ſemetipſo Paulus alicubi 1.Cor.6.
proponit. At omnibus hiſce vitijs Euangelium Chriſti medetur. Eſt etenim lux illa cœleſtis, quæ Rom.7.
ſalutifera Dei & regni cœlorum cognitione miſeros nos inter mundi tenebras verſantes illuminat. Pſalm.119.
Vitæ regulam præſcribit, & in eadem ceu fræno quodam dirigit. Ingenitam corruptionem aufert &
eluit, ſicuti ipſe Chriſtus teſtatur, quando diſcipulis ait: Iam vos mundi eſtis propter verbum meum, Ioan.15.
quod locutus ſum vobis. Idem inſtar gladij corda penetrat, & ſuperfluas cupiditates reſcindit. Con- Heb.4.
fortat item debiles, & infirmis atq; deſperabundis animum addit. Deniq; certum & efficax ſalutis Actor.11.
nuncium eſt, à qua omnes illi excidunt, qui verbũ iſtud audire dedignantur. Magna igitur eſt eo-
rum corruptio, qui hominum traditionibus incertis & noxijs potius quàm Euangelio aures præbent.

Porrò non minus obſeruandum eſt, quòd præſentibus phariſæis, hoſtibus acerrimis, Chriſtus do- Chriſtus docet
cet. Non pudet ergo illum verbi Dei patris ſui, & ſuo exemplo nos quoque inſtituit, ne nos coram præſentibus
mundo hoc adultero & impio Euangelij pudeat, cum illud conſtet potentiam Dei eſſe ad ſalutem phariſæis.
omni credenti. Quemcunq; enim Chriſti & verbi ipſius puduerit, illius pudebit etiam filium homi- Rom.1.
nis, cùm venerit in gloria patris ſui cum ſanctis angelis. Interim eos arguit Chriſti exemplum, Marc.8.
quibus religio videtur apud eas eccleſias ſubſiſtere, quibus aliquot palàm impios & flagitioſos inter-
mixtos vident, & mox ſe diſceſſuros minãtur, vbi non omnes illorũ monitis & placitis ſubſcribunt,
Quorum Zelus quidem probari meretur, modò ambitione & contumacia careat: at probari non po-
teſt præceps & inconſultus animi affectus, quo abrepti propter paucos aliquot eccleſias totas deſe-
runt, in quibus non deſunt, qui vero ſalutis ſtudio flagrant, quos illi, quantum in ipſis eſt, ſua seceſ-
ſione lupis diripiendos propinant. Tale quid olim Paulus quoque Corinthi, in vrbe corruptißima co- 1.Cor.2.
gitauiſſe videtur. Sed illius cogitationibus occurrit Dominus, cùm ſe in illa ipſa vrbe multum popu- Actor.18.
lum habere teſtatur. Quò etiam Heliæ hiſtoria referri debet, cui eandem ob cauſam fugam paranti 1.Reg.19.
reſpondet Deus, ſibi adhuc ſeptem millia eſſe hominum, quos pro veris cultoribus agnoſcat, eò quòd
Baali genua ſua nunquam adhuc flexerint. Quæ exempla à miniſtris obſeruari debent, vt maiorem
credentium quàm impiorum rationem habendam eſſe intelligant.

Tranſeamus nunc ad miraculum, quod in paralytico Chriſtus edidit: in cuius deſcriptione pri- Paralytici ad
mum locum tenent, qui illum in grabbato iacentem ad Chriſtum attulerunt. Non potuêre autem Chriſtum de-
præ turba populi per ianuam ad illum ingredi, mox ergo tectum conſcendunt, & illo perfoſſo ægro- portati hiſto-
tum vnà cum lecto funibus ad Chriſtum demittunt. Nam ea fuit apud veteres, imprimis Orienta- ria.
les, ædificiorum ratio, vt hoc facilè fieri potuerit. Sola enim inferior domuum pars inhabitabatur,
nec pluribus contignationibus domus in altum conſcendebant. Tecta autem plana erant, & deam-
bulationibus alijsq; eius generis vſibus ſeruiebant. Ideo tecta cancellis ſepire in lege iubentur, ne quis
ex illis delapſus domum ſanguinis reatu polluat. Et Dauid ſupra tectum palatij deambulans Deut.22.
Bathſabam lauantem vidit. Ochoſias item rex per cancellos cœnaculi aut ſolarij delapſus fuiſſe le- 2.Sam.11.
gitur. Quod propter eos monemus, qui omnis vetuſtatis atq; peregrinitatis ignari, abſurdum & vix 2.Reg.1.
poßibile exiſtimant, quod baiuli iſti fecerunt.

Habemus in his fidei admirandæ exemplum, quæ multis argumentis elucet. Etſi enim mor- Exemplum fi-
bum humana arte incurabilem eſſe norint, à Chriſto tamen illum curari poſſe confidunt. Diuinam dei.
ergo in illo potentiam agnoſcunt, & Meßiam eſſe credunt, quem omnis generis morbos mirabiliter
curaturum Iſaias prædixerat. Ita verò ſimul ipſius verbis fidem adhibent, quibus ille omnes, qui la-
borant & onerati ſunt, ad ſe inuitat, & ad ſe venientibus refocillationem pollicetur. Deinde etſi cir- Iſaiæ 35.
cumſtantium turbis impediantur, viam tamen per labores & pericula inueniunt, qua ad Chriſtum Matth.11.
penetrare poßint, & paralytico medeantur. Sunt hæc propria fidei, quibus ſtudere conuenit omnes
eos, quicunq; pro fidelibus haberi volunt. Et primò quidem Deo firmiter credere oportet, etiamſi ea
incidant, quæ humanis viribus confici non poſſunt. Vt enim Deo nihil impoßibile eſt, ita nec ijs qui
Deo confidunt, eò quòd fides Deo ſic nos coniungit, vt illius ſpiritu animemur et ſuſtentemur in gra- Lucæ 1.
uißimis tentationibus, & eius auxilio perficiamus quæ humanas vires longè ſuperant. Exempla Marc.9.11.
huius rei infinita Paulus ad Hebræos producit. Deinde charitatis igne fides inflammat, quò fit vt
nullos labores nullaq; pericula ſubterfugere libeat, dummodo fratres iuuare, & perituros iam Chri- Hebr.11.
ſto lucrifacere poßimus. Qui iſtis operibus conſpicui ſunt, fidem habent, qualem Iacobus Apoſtolus Galat.5.
Iacob.2.

docet, & ſcripturæ paßim exigunt. Quòd ſi qui ignaui torpent, fide quidem gloriari poterunt, ſed pro ſuis Chriſtus nunquam agnoſcet. Vide Matth. 7. circa finem.

Chriſtus fidem ad ſe uenientiũ reſpicit.

Quid verò Chriſtus? Num ſermonem ſuum, quem haud dubiè de rebus grauißimis inſtituerat, horum importunitate interrumpi indignatur? Num illos accuſat, quòd priuatam vnius hominis cauſam publicæ multorum ſaluti præferant? Minimè, quin potius amicè excipit, & eos voti ſui compotes reddit, qui præ loci incommoditate ipſum nec coràm conuenire nec alloqui poterant. Quæ verò tantæ benignitatis cauſa eſt. Fidem illorum dicitur reſpexiſſe, quam ſingularem fuiſſe modo diximus. Et diſertè fidem nominant Euangeliſtæ, non opera, eò quòd illa, licet præſtantißima ſint, ab hypocritis etiam fieri poſſunt, & ſi abſque fide fiant, peccata potius quàm bona opera cenſeri merentur. Animos enim noſtros requirit Chriſtus, nec eos probat, qui ore appropinquant, & labijs illum honorant, corde autem longè ab illo abſunt. Et abſq; fide quenquam ad Deum accedere poſſe negat Apoſtolus. Quæ cauſa eſt, quòd fidem paßim exigit, fidem ſolam reſpicit, & ſibi fidentibus ſalutis donum pollicetur. Ibi verò non inanem opinionem aut perſuaſionem incertam nos intelligere oportet, ſed firmum certumq; animi aſſenſum, qui nos totos in Chriſti obedientiam vendicat, & proinde operibus ſeſe exerit, & ijs quidem, quæ non inani oſtentationi ſeruiunt, ſed ad Dei gloriam & proximi ſalutem faciunt.

Rom. 14.
Iſa. 29.
Hebr. 11.

Alieni fides quatenus iuuet.
Habac. 2.
Ezech. 18.

Interim peculiare quiddam eſt hoc loco, quòd eorum fidem Chriſtus reſpexit, qui paralyticum adduxerunt, adeò vt aliena fide ſalutem conſecutus fuiſſe videri poßit. At iuſtum ſuaipſius fide viuere propheta teſtatur, nec filijs impijs & defectoribus parentum fidem & pietatem prodeſſe, Ezechiel multis docet. Aliquis tamen ad nos ex aliorum fide fructus redit. Primò enim propter fœdus Dei parentum fides liberis ipſorum imputatur, quoad iſti non manifeſti defectores fuerint. Sic Iſraelitas propter fœdus & promißionem Abrahamo datam pro ſuo populo Deus agnouit. Sic liberos, qui ex impari coniugio naſcuntur, ſanctos vocat Paulus, eò quòd alterũ ex parentibus Chriſtianum habeant. Deinde quia fideles pro omnibus orare ſolent, vt & ipſi ſalutis cognitione illuminentur, Deus autem illorum preces exaudit, multus ex illis fructus ad alios quoq; redire conſueuit. Conſtat denique, Deum propter electos ſuos mundum vniuerſum ſeruare, et propter eoſdem impijs interdum parcere, & ſua iudicia differre, ſicuti Lothi hiſtoria multiuariam teſtatur. Quoad verò præſentem cauſam, paralyticum quoq; fide præditum fuiſſe dicimus cùm illum pro filio agnoſcat Chriſtus, & eidem peccatorum remißionem denunciet, quæ non niſi per fidem percipi poteſt. Attamen baiulorum fidem potißimum Euangeliſtæ commendant, vt & illos ornent, & exemplo iſto doceant, quanti fieri debeat bonorum & piorum conuerſatio. Vt enim propter rebelles aliquot, niſi publica authoritate coërceantur, publicæ calamitates veniunt: Ita in paucorum piorum gratiam multis etiam indignis Deus benefacit. Magni ergo faciamus veros Chriſti fideles, & illum aliquando remuneratorem liberaliſſimum experiemur.

Gen. 17.
1. Corint. 7.
Gene. 14. 18. 19

Paralytico peccata remittit Chriſtus.

Porrò ad paralyticum conuerſus, illum ſolatur, & de ſalute ipſius agere incipit. Fili (inquit) bono animo eſto, remittuntur tibi peccata tua. Poterat hæc intempeſtiua admodum promißio, & consolatio inepta videri. Sed ad ipſam morbi cauſam penetrat Chriſtus, vt ſolida eſſe poßit miſeri iſtius ſalus, & plus largitur quàm ipſe ſperare auderet. Quin credibile eſt, ægrotum non tam corporis doloribus quàm peccatorum ſuorum conſcientia excruciatum, de reconciliatione cum Deo cumprimis ſolicitum fuiſſe, id quod Chriſtum, qui cordium ſcrutator eſt, minimè latere potuit.

Cauſæ morborum peccata.
Deut. 28.
Rom. 5.
Ioan. 5.
1. Cor. 11.
Pſal. 6. 38. 39.
2. Par. 16.

Quo loco admonemur, morborum cauſas ex peccatis oriri. In lege enim impijs tranſgreſſoribus illos Deus minatur, & morbos vnà cum morte per peccatum in mundum introiuiſſe conſtat. Facit huc quòd alibi paralytico abs ſe curato Chriſtus dicit: Ecce, ſanus factus es, ne poſthac pecces, ne quid deterius tibi contingat. Et Corinthios propter Cœnæ dominicæ abuſum peſte afflictos fuiſſe, Paulus teſtatur. Prodeſt hæc nouiſſe & frequenter meditari, vt in morbis de peccatorũ remißione & reconciliatione cum Deo ante omnia ſoliciti, non corporum modò, verumetiam animarum ſalutem conſequamur. Vidit hoc Dauides, quando in grauißimis morbis de Dei ira, quam ex peccatorũ conſcientia ſentiebat, maximè conqueritur. At hodie pleriq; à medicina initium faciunt, nec quicquam de peccatis & illorũ expiatione cogitant, nec ad Deum conuertuntur, nec illius opem ex animo implorant, Aſam regẽ imitantes, quẽ hoc nomine ſcriptura reprehendit. Ita verò teſtantur, quàm ſecurè Deum negligant,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

negligant, dum proſpera valetudine vtuntur, quando ne morbis quidem, vt illius fauorem inquirāt, excitari poſſunt. Liberantur ſanè interdum ex morbis et afflictionibus, ſed ita liberantur, vt grauiora pericula incurrant, dum Dei beneficium non agnoſcunt, & illo turpiter abutuntur.

Cæterùm ſingularem conſyderationem Chriſti verba merentur, quibus ægrum cōſolatur. Primò filium vocat, & ita grauiſſimæ tentationi medetur. Dum enim peccatorum conſcientia & eorundem pœnis excruciamur, hoc potiſſimum nos angit, quòd nos indignos eſſe ſcimus, qui filij Dei dicamur. At peccata non obſtare docet Chriſtus, dummodo apud ipſum remiſſionem quæramus. Facit huc quòd in dominica oratione Deum patrem noſtrum dicimus, licet paulò poſt nos debitores eſſe fateamur, & pro debitorum remiſſione anxiè oremus. Deinde bono animo eſſe iubet, vti apud Matthæum habetur. Ita verò fidem exigit, ſine qua inter conſcientiæ æſtus nemo bono animo eſſe poteſt, & ſimul peccatorum remiſſionem nobis ex fide obtingere docet. Addit enim: Remittuntur tibi peccata tua. Remittendi verbo gratuitam condonationē exprimit, & omnem tollit de proprijs meritis & ſatisfactionibus gloriandi occaſionem. Multa enim hic concurrunt, quæ ſalutem vel operum meritis deberi, vel peccata morbis & afflictionibus expiari, incautis & oſcitantibus perſuadere poterant. At gratuitæ remiſſionis meminit, vt nos nō ex operibus noſtris, ſed mera Dei gratia per ipſius meritum ex fide iuſtificari intelligamus. In cuius dogmatis aſſertione Apoſtoli paſſim verſantur, & ita omnes eos confutant, qui hominum viribus & meritis quicquam tribuunt. Noſtrum eſt, Dei bonitatem agnoſcere, & in Chriſto quærere quæcunq; noſtræ ſaluti ſeruiunt: cui debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

Peccatorē pro filio agnoſcit Chriſtus.
Lucæ 15.
Matt. 9.
Remiſſio peccatorū gratuita.
Epheſ. 2.
Rom. 3. 11. &c.

## HOMILIA XVII.

Erant autem illic quidam ex ſcribis ſedentes, & cogitantes in cordibus ſuis: Quid hic ſic loquitur blaſphemias? Quis poteſt remittere peccata niſi ſolus Deus? Et protinus ubi cognouiſſet Ieſus ſpiritu ſuo, quòd ſic cogitarent intra ſeſe, dicit illis: Quid iſta cogitatis in cordibus ueſtris? Vtrum eſt facilius dicere paralytico, Remittuntur tibi peccata tua: an dicere, Surge, & tolle grabbatum tuum, & ambula? Vt autem ſciatis, quòd filius hominis habet poteſtatem in terra remittendi peccata, ait paralytico: Tibi dico, ſurge ac tolle grabbatum tuum, & abi in domum tuā. Et ſtatim ſurrexit, ſublatoq; grabbato egreſſus eſt in conſpectu omnium, adeò ut ſtupeſcerent omnes, & glorificarent Deum, dicentes: Nunquàm ſic uidimus.

Sicuti Dominus noſter Ieſus Chriſtus miraculoſis operibus ſe ſaluatorem noſtrum eſſe declarat: Ita in iiſdem non abſq; Dei prouidentia multa occurrunt, quæ quid nobis faciendum ſit, docent, ſi ſalutis, quam ille nobis acquiſiuit, conſortes fieri velimus. Eſt hoc videre in præſentis miraculi hiſtoria. Nuper enim in ijs, qui paralyticum Chriſto adduxerunt, veræ fidei exemplum habuimus. In Chriſto autem ſingularis bonitas elucet, qua ad ſe venientes amicè excepit, & ægrotanti peccatorum remiſſionem liberaliter promiſit, vt ita ſublatis morbi cauſis, illum quoque cedere neceſſe eſſet. At quod verbo promiſit, nunc re ipſa præſtat, ſeq; verum tum corporis tum animæ medicum & ſaluatorem eſſe, aduerſus hoſtium ſuorum calumnias euidentiſſimo miraculo probat. Cuius hic nobis vſus eſſe debet, vt hoc vno nitentes, illorum calumnias minimè audiamus, qui hodie adhuc illius ſaluificam virtutem negare non verentur.

Argumentum & uſus præſentis loci.

Principiò ſcribæ producuntur, qui Chriſto de his agendi occaſionem præbuerunt. Diſplicet illis tam liberalis & gratuita remiſſionis peccatorum promiſſio, & licet intra conſcientias ſuas conuicti, illi palàm obloqui non auſint, in cordibus tamē ſuis peſſimè de illo ſentiunt, & blaſphemiæ accuſant: eo nimirum nomine, quòd abſolutam remittendi peccata poteſtatem ſibi vendicaret. Et ſanè nec ineptè nec præter rationem colligunt. Conſtat enim blaſphemos eſſe, quotquot quæ ſolius Dei ſunt ſibiipſis tribuunt. Ita enim Deo ſeſe æquales faciunt, & illius gloriæ derogant, quando illam in miſeras & corruptioni obnoxias creaturas cadere poſſe exiſtimant. At peccatorum remiſſionem penes

Scribæ aduerſus gratuitam peccatorū remiſſionem murmurant.

ſolum Deum eſſe, vnanimis ſcripturæ conſenſus teſtatur. Iure ergo blaſphemus dicitur, quicunque hanc ſibijpſi vendicare auſus fuerit. Falluntur tamē ſcribæ iſti, quòd argumentum hoc in Chriſtum torquent, in quo locum minimè habebat. Primò enim cùm Deus ſit verus, patri conſubſtantialis & coæternus, rectè & ſummo iure ſibi diuinam poteſtatem & gloriam vendicat. Deinde idem hic etiam quoad filium hominis, omnem à patre ſuo poteſtatem accepit. Illi enim dixit Deus: Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum. Nec obſcura erant miracula, quæ illi virtutem humana maiorem ineſſe teſtabantur. Non vident autem iſta ſcribæ, tum quia ſcripturas ignorabant (quod alibi illis Chriſtus exprobrat) tum quia religionem omnem ſibijpſis quæſtum fecerant, & humanis traditionibus populum ineſcabant, vt peccatorum expiationem in ſacrificijs & oblationibus legalibus conſiſtere putarent, quod illis aucupium fuit longè quæſtuoſiſsimum. Ita verò in illis typum habes eorum, qui hoc ipſum noſtro ſeculo faciunt. Poſtquam enim in Papatu humanæ ſatisfactiones & indulgentiarum nundinationes obtinuerunt, intolerabilis planè doctrina Euangelij videtur Monachis atque ſacrificulis, eò quòd in Chriſto gratuitam peccatorum remiſsionem monſtret, quæ ſi ſemel admittatur, mox euerſa iacet illorum tyrannis, quam cum incredibili lucro in hominum conſcientias hactenus exercuerunt. Dolendum verò eſt, noſtros illos Iudæorum Scribis multò deteriores eſſe. Etſi enim quoad rem ipſam non multùm differant, ea tamen fuit ſcribarum modeſtia, vt ſaltem verbis ſuum honorem Deo ſaluum & integrum eſſe voluerint, & ſolum Deum peccata remittere ingenuè fatentur. At noſtri ſe illa remittendi & miſerorum mortalium animas vel in cœlum collocandi vel ad inferos detrudendi poteſtatem habere, impudenter clamitant: & hoc nomine ſibi peccatorum confeſsionem fieri, & abs ſe eorundem abſolutionem peti volunt. Eſt hæc horribilis blaſphemia, quam Iudæorum ſcribæ agnoſcere potuerunt. Vtinam hanc etiam iſti agnoſcerent, aut ſaltem ad Euangelij lucem oculos aperiret mundus, nec ſeſe illorum artibus atque impoſturis ſeduci pateretur.

Ioan.3.
Matt.28.
Pſal.110.

Scribæ & Phariſæi noſtri ſeculi.

Sed omiſsis cæcis & cæcorum ducibus ad Chriſtum tranſeamus. Videt ille & intelligit cogitationes ipſorum, & hoc ipſo illorum calumniam arguit atq; confutat. Nam occultas hominum cogitationes videre & cordiū renumq; arcana ſcrutari, ſolius Dei opus eſt. Id verò cùm Chriſtus præſtet cum hic tum alijs multis in locis, verus Deus ſit oportet. Cur ergo blaſphemus dicetur, ſi quod Dei eſt ſibi tribuat? Interim ſeruit hoc conſolationi ſimul & inſtitutioni noſtræ. Videt Chriſtus hoſtiū ſuorum conatus, conſilia, cogitationes, & quæcunque illi aduerſus ſe ſuamq; eccleſiam loquuntur & faciunt. Facilè ergo illa, ſi velit, impediet: imò volet, cum ſuorum vindex atq; patronus ſit. At cum idem omnium hominum cogitationes videat, noſtrum fuerit, occultos quoq; ſenſus cohercere, ne vanis & impudicis cogitationibus nobiſiipſis peſsimorum affectuum & ſcelerum authores ſimus, & ſanctiſsimos Chriſti oculos aureſq; ipſius caſtiſsimas offendamus, quibus ille, quæcunq; in animis noſtris loquimur atq; facimus, perinde videt & audit, ac ſi palàm in omnium conſpectu fierent.

Chriſtus cogitationes hoſtium ſuorum uidet.
1.Reg.8.
1.Par.28.
Pſal.7.&c.
Pſal.2.

Cæterum quia ſtupidiores erant ſcribæ, quàm vt Chriſti diuinitatem hoc argumēto deprehendere poſſent, ad ipſum opus accingitur, & reipſa, ſe Deum & humani generis ſaluatorem eſſe probat, & quò magis illorum calumnias retundat, ipſoſmet cauſæ ſuæ iudices cōſtituit. Vtrum facilius eſt (inquit) dicere paralytico, Remittuntur tibi peccata tua: an dicere, Surge, & tolle grabbatum tuum, & ambula? Senſus horum eſt: Non minus diuinæ virtutis eſt, morbis verbo mederi, & illis pro imperio præcipere, quàm peccata remittere. Quia enim morbi ex peccatis oriuntur, nunquā niſi iſtis ſublatis, pelli poterunt. Quare cùm mihi in morbos ius eſſe & imperiū, hactenus plurimis miraculis probauerim, non minus imperij mihi in peccata quoque eſſe, agnoſcere debebatis. Quia tamen adhuc cæci eſtis, agedum hoc quoq; addam, ne quid mihijpſi præter rationem arrogare putetis. Et mox pro imperio paralyticum compellans, ait: Tibi dico, ſurge, &c. Nec mora, audito Chriſti mādato ille ſurgit, & nemine ipſi opem ferente grabbatum in humeros tollit (quod integræ valetudinis & euidens totius corporis reſtituti argumentum eſt) lætus deniq; & Deum laudibus vehens, domū abit. Nec habent amplius quod cauillentur ſcribæ, vt iam omnibus conſtet, Chriſto in animas quoq; hominum ius eſſe, & illum ſolidam peccata remittendi poteſtatem habere.

Chriſtus diuinā ſuam poteſtatē miraculo probat.

Porrò exactius hic cōſyderāda venit vniuerſa remiſsionis peccatorū ratio, qui præcipuus hiſtoriæ iſtius locus eſt, & cognitu maximè neceſſarius, eò quòd omnes natura peccatores ſumus, & propter

De remiſsione peccatorum.

peccatorum

peccatum damnari meremur. Poteſt autem totum negotium quinque aut potius ſex capitibus comprehendi, quæ ex ordine inſpiciemus.

Primò firmiter tenere oportet, ſolum Deum peccata remittere poſſe, ſicuti ſcribæ ſupra dixerunt. Peccatum enim eſt quicquid cum Dei lege pugnat, cuius cùm ipſe ſolus Dominus ſit, ſolus etiam ea condonare poteſt, quæ aduerſus illam committuntur. Deinde cùm peccata inſtar debitorum ſint, quæ nos Deo obſtringunt, nemo vtique illa remittendi ius habet, niſi eidem in ipſum quoque Deum ius ſit & imperium. Adhæc ita in carne noſtra & intimis ſenſibus hoc malum deliteſcit, vt nemo hominum, vel ſua ipſius peccata omnia & ſingula nouiſſe, nedum aliorum remittere poßit. Quò Dauid reſpiciens orat: Errores quis animaduertat? ab occultis meis repurga me. Falluntur itaq; quotquot peccatorum remißionem alibi quærunt, & imprimis qui illam ad auricularem confeßionem aſtringunt, in qua ſingulorum peccatorum diſerta & ordinaria enumeratio exigitur. At quomodo omnia & ſingula ex ordine narrabit, qui illa ipſe ignorat? Vanum ergo eſt quod illi fingunt. Nam etſi demus, abſolutionem ad ea peccata tantum referri, quorum confeßio fit, maior tamen adhuc illorum numerus reſtabit, quæ nos ipſos latent, quorum remißionem vni & ſoli Deo tribuant oportet, niſi homines in deſperatione perire velint.

1. Author remißionis Deus.
Pſal. 19.

Secundò cauſam nouiſſe decet, propter quam peccata Deus remittit, quæ pro iuſtitia ſua potius punire debebat. At hæc non alia eſt, quàm mera ipſius bonitas ſiue gratia. In nobis enim nil niſi peccatum inuenias, in quo & concipimur & naſcimur. Vires autem adeò nobis nullæ ſunt, vt ne ad cogitandum quidem idonei ſimus. Quare etſi quid interdum à nobis bene fit, id non noſtrum, ſed Dei per nos operantis, opus eſt: qui cùm noſtra ope minimè indigeat, pro ſua bonitate nos ſuæ gratiæ & gloriæ vaſa facit, quos alioqui facilè negligere poterat. Quis enim prior dedit illi, & Deum ſibi debitorem conſtituit? Aut quid habes, quod non accepiſti? Longè ergo profligari debet illorum error, qui in remißionis peccatorum cauſa homines ad liberum arbitrium, ad ſuas ipſorum vires & ſuorum operum merita relegant. Ita enim & Dei gratiam oppugnant, & noſtræ ſalutis fundamẽta conuellunt, cuius certitudo in hoc potißimùm ſita eſt, quòd illam non à miſeris nobis, ſed à Dei gratia & miſericordia dependere ſcimus, quæ infinita & æterna eſt, nec vllis aduerſariæ poteſtatis viribus labefactari poteſt. Vide Pſal. 103. 130. 136. 145. &c.

2. Cauſa remißionis, gratia Dei.
Pſal. 51.
2. Corinth. 3.
Rom. 11.
1. Cor. 4.

At quia iuſtus quoque eſt Deus & ſeuerus admodum peccatorũ vindex, mediatorem aliquem inter nos & illum intercedere oportuit, cuius interceßione dißidium noſtrum cum Deo, cuius cauſa erat peccatum, componeretur. Monſtrant ergo etiam hunc ſacræ literæ, & quidem vnicum, videlicet filium Dei Ieſum Chriſtum, quem priuſquam mundus conderetur à Deo, ad hoc munus præordinatum fuiſſe Petrus teſtatur. Hic vt mediator noſter eſſe poſſet, homo factus eſt, & noſtra peccata in ſe transferens, illa ſui corporis & ſanguinis ſacrificio in ara crucis expiauit, quo nomine noſtra iuſtitia, noſtra redemptio & ſatisfactio dicitur. Idem pro nobis, quoties peccamus, apud patrem intercedit, ſic ut per illum liber nobis ſit ad thronũ gratiæ Dei acceſſus. Hunc nobis ipſe pater ſuo teſtimonio cœlitus commendauit, quando hunc ſuum dilectum filium eſſe ait, in quo placatus ſit. Sed & ipſe apud Iſaiam clamat: Ego Dominus, hoc eſt nomen meum, & gloriam meam alteri non dabo. Minimè ergo audiendi ſunt, qui Diuos mediatores & interceſſores fingunt, quibus nihil eiuſmodi ſcriptura tribuit. Quin potius Dei bonitatem agnoſcamus, qui ne aliqua ex parte incerta eſſet noſtræ ſalutis ratio, in vno Chriſto dedit omnia, quæ ad noſtram cum Deo reconciliationem faciunt. Eius ergo vocem audiamus, in Euãgelio dicentis: Ego ſum via, & veritas, & vita. Nemo venit ad patrem niſi per me. Vide Ioan. 14. &c.

3. Mediator remißionis, Chriſtus.
1. Pet. 1.
Iſaiæ 53.
1. Corinth. 1.
1. Ioan. 2.
Hebr. 4. &c.
Marc. 1. 9.

Ne quid tamen dubij reſtet, qualis ea peccatorum remißio ſit inquirendum eſt, quæ nobis ex Dei gratia per Chriſtum obtingit. Hanc nos plenam, perfectam, & omnibus numeris abſolutam eſſe dicimus, vt quæ non peccata modò, verumetiam peccatorum pœnam tollat. Perfecta enim ſunt Dei opera, qui non alia de cauſa peccatis noſtris ignoſcit, quàm ne illorum pœnas exigere ipſum oporteat. Typus huius rei in præſenti hiſtoria euidentißimus habetur. Hunc enim peccatorem fuiſſe, & propter peccata paralyſi debilitatum fuiſſe, Chriſti verba abundè teſtantur. At Chriſtus primo quidem peccatorum remißionem illi denunciat, deinde eidem priſtinam valetudinem reſtituit, & morbum pellit, quem peccando meruerat. Vt ergo perfectam corporis ſalutem ei contulit: ita perfecta

4. Remißio peccatorũ plena & perfecta.

Luc.23. ſuerit oportet peccatorum remiſsio, quæ ſalutis iſtius cauſa fuit. Eodem latronis cum Chriſto cruci-
fixi exemplum referri debet, quem vt primùm in gratiam recepit, mox hoc ipſo die in paradiſo ſecum
fore teſtatur. Facit huc remittendi vox, quæ metaphoram à creditoribus ſumptam continet, &
quam ipſe Dominus apud Matthæum cap. 18. copioſe illuſtrat. Hi cùm debita remittunt ſuis debi-
toribus, nihil præterea ab illis exigunt. Habemus præterea promiſsiones vniuerſales, quæ ad omnes
Iſaiæ 43. pertinere docent, quod modò de paralytico & latrone diximus. Apud Iſaiam clamat Deus: Ego ego
ille ipſe ſum, qui deleo tranſgreſsiones tuas, idq; propter me, & peccatorum tuorum non recordabor.
Iſaiæ 44. At quomodo non recordari dicetur, qui pœnas adhuc exigit? Item: Ego delebo tranſgreſsiones tuas,
Matthæi 11. vt denſas nebulas, & vt nubē peccata tua. Et Chriſti vox eſt: Venite ad me omnes qui laboratis, &
Ioan. 4. onerati eſtis, & ego refocillabo vos. Et rurſum: Qui biberit ex aqua quam ego illi dabo, non ſitiet in
Cōtra hominū ſatisfactiones. æternū. Poſſent infinita huius generis teſtimonia adduci, quæ breuitatis cauſa omittimus. Diligen-
tius aūt iſta monemus propter noſtri ſeculi phariſæos, qui vt ſuas pro peccatis ſatisfactiones ſtabi-
liant, dogma nouum & deſperationis plenū confinxêre: Deū ſcilicet culpam quidē peccati, non au-
tem pœnam, remittere. Quæ doctrina operum merita conſtituit, ſatisfactionum genera infinita exco-
gitauit, Monachorum ordines inuexit, Eremitas fecit, & tandem purgatorium incendit, quo ani-
mas corporibus ſolutas à peccatorum ſordibus excoqui tradiderunt, denique noua pro defunctis ſa-
crificia excogitauit, quibus purgatorij pœnæ mitigari & accelerari poſſe, infelici vulgo perſuaſerit.
Quæ res vt illis quæſtuoſiſsima fuit: ita horribilis fuit conſcientiarum carnificina, quam multi ve-
ſtrûm experti ſunt, qui olim in Papatus tyrannidem incidiſtis. At quàm vana ſint hæc omnia, ex
ijs patet quæ modò diximus. Quibus ſi Chriſti oraculum adicias, quod Ioannis 5. habetur, nihil pro
habebunt iſti Alchymiſtæ & phariſæi, quo ſuam ſententiam tueantur, niſi omnem pudorem abiece-
rint. Sic enim ait Chriſtus: Amen amen dico vobis, qui ſermonem meum audit, & credit ei qui mi-
ſit me, habet vitam æternam, & in iudicium non veniet, ſed tranſiuit à morte in vitā, &c. Nec eſt
quod hic nobis illorum exempla obijciant, quos poſt denuntiatam ipſis peccatorum remiſsionem va-
rijs afflictionibus exercitatos fuiſſe legimus. Afflictiones enim eiuſmodi nec pœnarū nec ſatisfactio-
num loco ſunt, ſed caſtigationes cenſeri debēt, quibus Deus ingenitam carnis corruptionem in electis
ſuis cohercet, & illos ad vitæ emendationem inſtituit. Vide Hebr. 12. Pſal. 94. Beatus vir, quem tu
ô Domine caſtigaueris, &c.

5. Remiſsio offertur per Euāgelium. Interim obſeruabis, peccatorum remiſsionem nobis per Euangelium offerri, quādo non aliud me-
dium eſt, quo regni cœlorum myſteria nobis communicari poſsint. Ideò in præſenti Chriſtus paralyti-
co hanc primùm per verbum ſuum communicat, & mox eiuſdem miraculoſa reſtitutione promiſsio-
nem ſuam veram & ratam eſſe docet. Quod autē exemplo hoc adumbrauit, poſtea lege perpetua ſan-
ciuit, quando Apoſtolis mandat, vt in ſuo nomine pœnitentiam & remiſsionem peccatorū prædicent.
Lucæ 24. Quæ cauſa eſt, quòd Apoſtoli claues regni cœlorum habere, & homines in terris vel ſoluere vel li-
Matt. 16. gare dicuntur: non quòd hæc abſoluta poteſtate pro ſuo arbitrio faciāt, ſed quòd per Euangelij præ-
Ioan. 20. dicationem pijs Dei gratiam, impijs verò damnationem & interitum ſempiternum denuntiant. Vn-
de conſtat, peccatorum remiſsionem nullam apud eos eſſe, qui Euangelij prædicationi locum dare no-
lunt. Cur enim Dei gratiam perciperent, qui gratiæ nuntium impiè faſtidiunt?

6. Remiſsio peccatorum fide apprehenditur. Mar. 16. Medium verò ſiue inſtrumentū, quo remiſsionem hanc apprehendimus, fides eſt, quam hic quoq;
Chriſtum reſpexiſſe, nuper diximus, & quam alibi etiam reſpicit, & in Euangelio paſsim requirit,
& vniuerſali promiſsione omnibus qui Euangelio credunt, vitam æternam pollicetur. Porrò fides
hæc non inani modò perſuaſione aut profeſsione inflat, verùm Chriſto inſitos illius ſpiritu animat, &
in illo ad omne opus bonum idoneos reddit, facit deniq; vt in omnibus dictis & factis noſtris Chriſti
verbum & ſpiritus eluceant. Quare doctrina hæc gratuitæ remiſsionis peccatorum noſtrorū, ſuper-
bam quidem & inſolentem operum noſtriq; meriti fiduciam euertit, minimè autem ijs patrocinatur,
qui ſub fidei prætextu effrenem peccandi licentiam ſectari ſolent. Quales multi hodie cernuntur, qui
vt Euangelij doctrinam vulgò ſuſpectam & exoſam reddunt, ita Chriſti iudicium nunquam effu-
gient, de quo vide Matth. 7. & 25. Eſt hæc ſimplex & euidens remiſsionis peccatorum doctrina,
quam prophetæ & Apoſtoli ex ſpiritus Chriſti ſuggeſtione tradiderunt: cuius ſumma eſt, Solum
Deum noſtris peccatis ignoſcere, ex mera gratia, propter meritum filij ſui Ieſu Chriſti, gratiam ve-
rò hanc

rò hanc nobis per Euangelij prædicationem offerre, cui quotquot credunt, ſalutis huius conſortes redduntur.

Porrò ad hiſtoriam redeamus, quæ totius negotij exitũ paucis comprehendit. Paralyticus vires recipit, ſurgit, tollit lectum ſuum, domum ad ſuos reuertitur, & Deum glorificat. Populus verò rei nouitate attonitus, ipſe etiam Dei potentiam & bonitatem celebrat, nec ſcribarum authoritate mouentur, quos hoc Chriſti factum calumniari audiuerant. Quo exemplo docemur, quid eos facere deceat, qui vel ſemetipſos per Chriſtum reſtitutos ſentiunt, vel illius bonitate & ſaluifica virtute alios reſtitui vident. Surgant è lectis peccatorum, & vitæ inutiliter vel etiam malè tranſactæ pœnitentiã agant. Quia enim nox progreſſa eſt, & Chriſtus ſua luce diem mundo intulit, lucis filios ſe eſſe meminerint, in luce decenter & compoſitè ambulent, nec turpia tenebrarũ opera ſectentur. Interim Deum glorificent, & huic omnem ſuæ reſtitutionis atq; ſalutis laudem tribuant, nec illos Chriſtũ profiteri pudeat coram mundo hoc corrupto & adultero. Poterant hæc copioſius tractari, ſed quia ſæpius occurrunt, hæc modò obiter attigiſſe ſufficiat. Oremus autẽ Deum patrem miſericordiæ, vt nobis etiam per filij ſui Ieſu Chriſti meritum mederi dignetur, vt vera gloriæ ipſius vaſa facti, in illo & cum illo perpetuò viuamus: cui debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum, Amen.

Effectus et fructus miraculi.
Luc. 5.
Roman. 13.
Epheſ. 5.

## HOMILIA XVIII.

Et egreſſus eſt rurſum ad mare, omniſq; turba ueniebat ad eũ, ac docebat eos. Et cùm præteriret Ieſus, uidit Leui, Alphæi filium, ſedentem ad telonium, & ait illi: Sequere me. Iſq; ſurgens ſecutus eſt eum. Et factum eſt, cùm accumberet in domo illius, multi etiam publicani & peccatores ſimul diſcumbebant cum Ieſu & diſcipulis ipſius. Erant enim multi, qui ſecuti fuerant eum.

Paulus Apoſtolus ad Timotheum ſuum ſcribens, magna cum authoritate pronunciat: Certus ſermo, & dignus quem omni ſtudio amplectamur, quòd Chriſtus Ieſus venit in mundum, vt peccatores ſaluos faceret. Conſentiunt his, quæ paßim in ſcripturis de exhibita nobis in Chriſto Dei gratia dicuntur, & quòd ipſe Chriſtus peccatores ad ſe vocat, & ad ſe venientibus refocillationẽ pollicetur. At quia peccatorum cõſcientia grauior eſt, quàm vt verbis facilè leniri poßit, promißiones iſtas exemplis haud obſcuris confirmari oportuit. Multa ergo eius generis in Euangelio proponuntur, inter quæ non poſtremo loco cenſeri debent, quæ apud Capernaitas edita ſunt. Nam ijs, etſi corruptiſſimi & ingratißimi eſſent, Chriſtus familiariter conuerſari voluit, miracula inter illos edidit plurima, quibus & ſuam potentiam & Dei erga ipſos bonitatem declarauit, paralytico qui propter peccata ſua cruciabatur, remißionem peccatorum magna liberalitate obtulit, & nunc populo ad ſe concurrenti ſalutis doctrinam ſedulò proponit, neminem illorum faſtidiens, licet cauſas multas & graues haberet. At memorabile cumprimis eſt, quod in Matthæi (quem Marcus Leui nominat) vocatione proponitur: in cuius conſyderatione nobis eò diligentius verſandum erit, quòd illud à tribus Euangeliſtis ſpiritus ſanctus deſcribi voluit: nimirum quòd noſtræ tum conſolationi tum inſtitutioni plurimum ſeruiturum ſciret.

Argumentum & uſus præſentis loci.
1. Timoth. 1.
Matt. 11. 18.
Ioan. 7.
Matt. 9.
Lucæ 5.

Primò omnium autem Matthæus hic, ſiue Leui, conſyderandus venit, qui ad telonium ſediſſe, et illinc à Chriſto vocatus eſſe dicitur. Fuit ergo ex publicanorum ordine, & (ſicut ex circumſtantijs conijcere licet) ex eo quæſtu opulentißimus factus erat. Solebant enim publicani vectigalia publica redimere, quæ poſtquam in ſuam poteſtatem redegiſſent, nouis indies artibus augebãt, conniuentibus interim Romanis, qui inde vectigalia pluris locandi occaſionem arripiebant. Etſi verò apud Romanos maxima eſſet illius ordinis dignitas, adeò vt florem Romanorum equitum, ornamentum ciuitatis & reipublicæ firmamentum illo contineri Cicero teſtetur: apud Iudæos tamen multis nominibus inuiſi & infames erant, maximè ſi qui ex illorum gente oriundi eſſent, qualem Matthæũ hunc fuiſſe ex nomine et patris denominatione patet. Erant enim Romanæ tyrannidis miniſtri, quæ Iudæis indigna & iniquißima videbatur, cùm illi Dei populus & peculium cenſeri vellent. Et vt modò mo-

Matthæus publicanus.
In oratione pro Plancio.

nuimus, nouis atque inſolitis exactionibus miſeram plebem grauabant, quæ ſub illis ſuæ erga Deum inobedientiæ atque ingratitudinis pœnas luebat. Interim inſatiabilem illorum auaritiam & mentes ab omni humanitate alieniſsimas eſſe oportuit, qui ſuam operam contra gentiles ſuos, imò contra Dei populum, prophanis & impuris Romanorum imperatoribus locabant, & ab his impoſitum iugum ſuis vſurarijs artibus grauius & acerbius reddebant. Quòd ſi cum noſtri ſeculi hominibus eos conferre libeat, eadem ferè fuit publicanorum conditio, quæ eorum hodie, qui patria ab hoſtibus deuicta & oppreſſa præſides in ea fiunt, & priuati quæſtus cauſa in conciues ſuos tyrãnidem exercent: Vel etiam monopolarum, qui vbi omnes alicuius generis merces coemerunt, illarum pretium pro ſuo arbitrio augere ſolent: qui & ipſi Regibus quidem ob pecunias gratiſsimi, miſeris verò eorundem ſubditis moleſtiſsimi ſunt, & planè intolerabiles. Ex horum (inquam) ordine Matthæus fuit, quem tamen Chriſtus in ipſa auaritiæ & iniquitatis officina ſedentem vocare voluit.

**Christus peccatores non faſtidit.**

**1. Timoth. 1.**
**Iſa. 53.**

Patet hinc quod initiò diximus, Chriſtum peccatores non faſtidire, ſed illos ſaluos velle. At quòd publicis peccatis infames in illorum ordinem aſciſcit, quos Euangelij & ſalutis doctores conſtituit, ideò factum putabimus, vt eò certior nobis eſſe poſſet gratiæ & miſericordiæ Dei fiducia, quando ſingularia eius exempla in ipſis Euangelij præconibus habentur. Ita Paulus ſuam ipſius vocationem exponit, quando ſe peccatorem omnium maximum eſſe fatetur, gratiam verò conſecutum, vt publicum eſſet gratiæ in Chriſto credentibus exemplar. Quin ipſe Chriſtus cum iniquis reputari, & medius inter latrones crucifigi voluit, vt ipſius meritum ad peccatores pertinere ſciremus. Hinc nobis in tentationibus conſolationis argumenta petenda ſunt. Interim meminerimus, nobis quoque ex mera gratia ſalutem obtingere, nec aliquid in nobis meriti eſſe, propter quod nobis ſalutem deberi dicamus. Eadem enim omnium noſtrûm, quæ Matthæi, conditio eſt, quando per Euangelij prædicationem ad regni Dei commercium vocamur. Sedemus ſiquidem omnes in peccatorum officina, dum alius libidini, alius vindictæ cupiditati, alius auaritiæ, alius ambitioni, alius intemperantiæ indulget, & ita tenebrarum principi diabolo gratiſsimum ſeruitium præſtamus, de animarum ſalute nihil aut parum ſoliciti. Nec alia illorum ratio eſt, qui circa ſalutis ſtudium quidem occupati ſunt, interim verò ſuis ipſorum aut aliorum meritis confidunt, & vndique corradunt, quod in diuini iudicij conſpectum afferant. Quos longè ſuperant, qui opera ſupererogationis commenti ſua merita alijs diuendunt, vel nugas potius, quæ non alio quàm humanarum traditionum fulcro nituntur. Ii certè ad telonium ſedent omnium impijſsimum, cum Dei regnum vel noſtrûm operum meritis, vel auro & argento redimi poſſe arbitrantur. Magna ergo eſt Dei bonitas, qui talibus regnum ſuum & ſalutem offerre dignatur, quam nos eò ardentius complecti decet, quo illa nos indigniores eſſe ſentimus.

**Matthæus Chriſtum uocantem ſequitur.**

Atqui huius quoq; exemplum in Matthæo proponitur. Is mox relictis omnibus (vt Lucas habet) ſurgit, & Chriſtũ ſequitur. Quod haud vulgare factum eſſe patebit, ſi quàm multa cauſari potuerit conſyderes. Erat enim reliquendus quæſtus longè vberrimus, nec vſpiam aliqua ſeſe offerebat ratio, qua ſe cõmodè, aut ſaltem tolerabiliter viuere poſſe videret. Deinde Chriſtum ſequitur, qui quò nam abiturus eſſet, incertũ erat. Nec magnum quid ſperare licebat ex eo, quem magnatibus inuiſum & exoſum eſſe nouerat. Metuẽda item erat Romanorũ præſidũ indignatio, quibus ille ſeruiebat, ſociorum inuidia, odium, conuitia, & quæcũq; mundus hic aduerſus eos tentat, quos abs ſe deficere videt. Quas ergo quamq; varias cogitationes in ipſius animo obortas fuiſſe putabimus? At exploſis & contemptis illis omnibus abſq; mora ſurgit, & Chriſtum ſequitur. Imitentur hunc quotquot per Euangelij prædicationem ſeſe à Chriſto vocari ſentiunt. Surgant ex peccatorum officina, & priſtina carnis ſtudia, quæſtuoſiſsima licet, relinquant. Non blanditijs peccatorum, non mundi exemplo, non futuræ infamiæ aut paupertatis metu, nec vllis alijs rationibus quas cæca & ſuiipſius amans caro ſuggerit, ſeſe impediri aut retineri patiantur. Sed hoc fidei proprium eſſe meminerint, quòd omnem ſenſum atque intellectum ſub verbi diuini obedientiam captiuum ducit. Cur enim carnis rationes audiat, qui Chriſtum ſibi à Deo ſapientiam factum eſſe credit? Cur aliqua incommoda metuat, qui Deum diligentibus omnia ad bonũ cooperari nouit, et Chriſti promiſsionibus inſtructus, pilos etiã ſuos à Deo numeratos eſſe, nec ſibi quicquã defuturũ intelligit? Talẽ certè Abrahamũ quoq; ſcriptura proponit, qui ad Dei vocationẽ abſq; mora patrios lares & cognationem ſuã vniuerſam reliquit, etſi quò nam

**1. Corin. 1.**
**Rom. 8.**
**Matt. 10.**
**Lucæ 12.**
**Gene. 12.**

terrarum peruenturus eſſet, ignoraret. Tales ſectatores & diſcipulos Chriſtus requirit, qui nec domeſticis prius valedicant, nec parentes ſepeliant, ſed vno ipſo contenti, ab ipſius nutu & voluntate toti pendeant. At ô infœlices nos, qui hic potiſsimum, quantum nobis deſit, experimur. Audimus quidem vocantem nos Dominum, & quid eidem debeamus, certò ſcimus: cunctamur tamen, eò quòd carnis rationes admittimus, & cum abſque conſilio & ratione agamus ferè omnia, hic conſilio & prudentia vti conſueuimus, vbi illa minimè locum habent, ſed nuda & ſimplex fidei obedientia requiritur.

Lucæ 9.

Virtus diuinæ uocationis.

Interim elucet hic ſimul, quanta diuinæ vocationis virtus ſit. Nam ſi carnem audias, nunquam ſequetur illa vocantem Dominum, ſed ſemper quod cauſetur inueniet, maximè ſi diuitiæ accedant, quarum vt poſſeſsio periculi plena eſt, ita ad retinendos hominum animos, ne Chriſtum pauperem & egenum ſequantur, efficaciſsimæ ſunt, & pluſquam adamantinis vinculis conſtrictos tenent. At facilè omnia vincit Deus, & quæ huic ſolidè innititur fides. Poteſt hæc in Chriſto omnia, & eadem victoria noſtra eſt, qua mundum vincimus, & quæcunq; in mundo ſunt. Minimè ergo de ijs deſperandum eſt, quos magnis & multis remoris impediri videmus. Nam & Chriſtus diuites quidem difficulter regnum cœlorum ingredi ait, ſed idem apud Deum poſsibile eſſe teſtatur, quod hominibus factu impoſsibile eſt. Et Iſaias propheta lupos, leones, vrſos, aſpides & baſiliſcos, id eſt, homines indomitos planè & à Dei regno alieniſsimos per Chriſti verbum & ſpiritum cicurandos fore prædixit, vt ouibus ipſius mites & pacifici aggregentur. Nec exempla deſunt tum vetera tum noua, quæ ſi obſeruemus, multum ex ijs conſolationis habebimus.

Philip. 4.
1. Ioan. 5.
Matth. 19.
Iſaiæ 11.

Matthæus Chriſtum conuiuio excipit.

Porrò Matthæus Chriſtum vnà cum ſuis diſcipulis domum ſuam deducit, & illic conuiuio excipit, ad quod plurimi publicani & peccatores confluxerunt. Atqui idem ille prius omnia reliquiſſe dicitur. Rurſum ergo patet, quomodo ſua omnia Apoſtoli reliquerint: Animo nimirum, & quatenus vocatio ipſorum poſtulabat, non quòd nefas ducerent illis vti, ſi quando hoc ſalua pietate fieri poterat; ſicut alibi non ſemel monuimus. Præſtat autem hic ſingulas perſonas ex ordine inſpicere.

Gratitudinis exemplum.

In Matthæo gratitudinis exemplum habetur, quæ fidei perpetuò coniuncta eſſe ſolet, & externis quoque officijs ſeſe exerit. Cur enim non Chriſtum in domus ſuas recipiant, & eidem ſua omnia offerant, qui illum iam animis totis complexi ſunt, ſeq; totos illi conſecrarunt? Gratitudinem certè deberi benefactoribus gentes intellexerunt, inter quas Perſæ ingratis pœnam capitalem conſtituerunt, Apud Athenienſes verò libertus à patrono ingratitudinis conuictus, iure libertatis exuebatur. Superſedeo te (dicebat iudex) habere ciuem tanti muneris impium æſtimatorem. Nec adduci poſſum, vt credam vrbi vtilem, quem domi ſceleſtum cerno. Abi igitur & eſto ſeruus, quoniam liber eſſe neſciuiſti. Quod exemplum vtinam expenderent, qui Chriſti beneficio è peccati ſeruitute manumiſsi, ſe illi ingratiſsimos præbent, dum pro illo nec labores aut ſumptus ſuſtinere, nec vlla pericula ſubire volunt. Indigni ſunt libertate filiorum Dei; quam tanto pretio nobis ille acquiſiuit. Longè alia mens eſt verè fidelibus qui cum Chriſto intelligant ſe omnia debere, ipſos nullorum vel ſumptuum vel laborum pœnitet, modò illi officium gratum præſtare poſsint. Hinc eſt, quòd Lazarus quoq; & Simon, Bethanienſes ciues, Chriſtum crebrò excepiſſe leguntur. Nobis autem illorum exempla imitanda ſunt, vt ipſi quoq; Chriſtum, licet corpore in cœlis agat, hoſpitem & conuiuam habere ſtudeamus. Id primùm per fidem fit, qua nos ipſos Chriſto cibum ſuauiſsimum propinamus, dum nos illi totos addicimus. Nam meus cibus (inquit) eſt, vt faciam quod vult is qui miſit me, & perficiam opus eius. At vt homines ſaluos faceret, miſſus eſt. Ergo qui ſalutem, quam nobis offert, fide amplexantur, illum cibant & conuiuio excipiunt omnium lautiſsimo. Ita enim ſua corpora ſimul & animas, ſtudia deniq; & actiones omnes illi offerunt, & ipſius voluntati accommodant. Deinde Chriſtum excipiunt, qui membra ipſius, fideles nimirum egenos & inopes, hoſpitio & menſa dignantur. Hos enim ita ſibi ſubſtituit, vt in illos conferamus charitatis officia, quæ in ipſum collaturi eramus, ſi in terris ageret, & quod illis conferimus, in ſuas rationes ſe aſcripturum pollicetur. Matth. 25. & 26.

Luc. 10.
Ioan. 11. 12.
Ioan. 4.

Charitatis officium.

Præterea charitatis eſt, quòd ſalutis in Chriſto ſocios habere cupit Matthæus, qui illi hactenus auaritiæ & ſcelerum ſocij fuerant. Solet autem fides per charitatem operari, tum quòd hominũ mentes totas in Dei amorem rapit, tum quòd credentes omnes in Chriſto vnius & eiuſdẽ corporis membra facit. Quia ergo Dei amore fideles flagrant, quàm plurimos in Dei cognitionem venire et ſaluari

Galat. 5.

vellent, eò quòd hoc ad Dei gloriam facere intelligunt. Eſt hoc euidens regenerationis argumentũ. Ea enim carnis noſtræ philautia eſt, vt ſolis nobis bene eſſe cupiamus, aliorũ verò fœlicitatẽ inuidè ringamur. Quotquot ergo omnes homines ſalutis & ſupremæ fœlicitatis in Chriſto ſocios habere cupiunt, næ illi ingenitam carnis corruptionem exuerunt, ſeq́ omnino renatos & alios factos eſſe teſtantur. Arguitur igitur hoc exemplo illorum ſocordia, qui cùm Chriſtiani haberi velint, ſuiq́ deq́ ſunt, quæ nam ſit aliorum hominum conditio, quin ſecuri omnium aliorum ſalutem negligunt, modò ipſis ſub Euangelij prætextu voluptuari liceat.

Publicani Matthæo conuerſantur. Matth. 21.

Non minorem verò laudem publicani reliqui merentur, qui illum accedere dignantur, quem ab ſe defeciſſe vident. Fuit ergo in illis quoq́ ſalutis ſtudium, à quo procul aberant phariſæi, eò quòd ſuæ ipſorum iuſtitiæ confiderent. Et impletur Chriſti dictum, quo publicanos & peccatores facilius & citius quàm phariſæos regnum Dei ingreſſuros eſſe ait. Longè item alieni ſunt publicani iſti ab illorum moribus qui ſcelerum ſocios, ſi qui pœnitentiam agant, odiſſe & defectionis accuſare ſolent. Quod deploratæ impietatis indicium eſt, quando ne in alijs quidem pœnitentiam æquo animo ferre poſſunt.

Chriſtus peccatores plenè in gratiã recipit.

Poſtremò Chriſtus obſeruandus eſt, qui publicanorum conuiuio intereſſe dignatur. Vt enim hoc euidens bonitatis ipſius argumentum eſt, ita ſe nobiſcum ſolidè in gratiam redire teſtatur. Antiquitus enim conuiuia amicitiæ & beneuolentiæ indicia fuerunt, nec hodie probantur, qui cùm ad menſam ſuam aliquos inuitant, interim odij ſcintillas ſub pectore fouent. Id quod in Chriſto locum habere nequit, qui ipſiſſima eſt veritas. Faciunt huc promiſſiones, quibus ad ſe conuerſis ſalutem ſolidam & peccatorum ſiue offenſarum ἀμνηςείαν pollicetur. Errant ergo, qui territas conſcientias ad noua quædam expiationum & ſatisfactionum genera ablegant, ex quibus maiores terrores concipiunt. Agnoſcamus nos Dei bonitatem, & ad ſalutis conſortium vocantem conſtanti fide ſequamur, vt cœleſtis menſæ olim conuiuæ eſſe poſſimus cum Domino & ſaluatore noſtro Ieſu Chriſto, cui debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

Iſaiæ 43. Ezech. 18.

## HOMILIA XIX.

**Et ſcribæ ac phariſæi cùm uidiſſent eum capientem cibum cum publicanis & peccatoribus, dicebant diſcipulis eius: Quid eſt, quòd cum publicanis et peccatoribus edit ac bibit? Hoc audito Ieſus ait illis: Non opus habent qui ualent medico, ſed qui malè habent. Non ueni ad uocandum iuſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam.**

Argumentum & uſus præſentis loci.

QVemadmodum ſcriptura paſſim Dei gratiam commendat: ſic multorum exempla proponit, qui à peccatis conuerſi, hanc gratiam ſibi ſalutarem experti ſunt. Inter hos non poſtremo loco Matthæus cenſeri debet, qui cum publicanus & ob peccata infamis eſſet, non modò peccatorum remiſſionem inuenit, verumetiam in Apoſtolorum & præconum gratiæ Dei ordinem cooptatus eſt, idemq́ mox ſuo exemplo docuit, quid eos facere deceat, qui ſimiliter ad ſalutem vocantur. Porro vt plus conſolationis afferret exemplum hoc, in præſenti ab ipſo Chriſto plenius illuſtratur: cuius loci hic nobis vſus eſſe debet, vt ex eo conſolationes petamus, non modò cùm conſcientiæ terrores ſentimus, verumetiam aduerſus hypocritas iuſtitiarios & phariſaicos doctores, qui infirmas conſcientias ſatisfactionum humanarum doctrina magis terrere conſueuerunt. Deinde vt Chriſti exemplo diſcamus, quales nos erga fratres, qui peccatis obnoxij ſunt, eſſe conueniat.

Occaſio præſentis tractationis ex phariſæis eſt. Luc. 5.

Occaſionem huic tractationi præbuerunt phariſæi, quibus ſcribas quoq́ Lucas adnumerat. Vident hi Chriſtum cum publicanis ad eandem menſam aſſidere, & mox aduerſus diſcipulos illius murmurant, & apud illos tanquam ſocium flagitioſorum hominum traducunt. Finis autem hic illis propoſitus eſt, vt tum apoſtolis, tum reliquo vulgo Chriſtum ſuſpectum & inuiſum reddant; ad quem indies quàm plurimos deficere videbant. Quid eſt (inquiunt) quòd cum publicanis & peccatoribus edit atque bibit? Quaſi dicant: Iámne videtis, quàm ſtultè relictis veris & legitimis doctoribus hunc vobis magiſtrum elegeritis, ſocium nimirum perditiſſimorum hominum, & honeſtatis atque diſciplinæ ſanctioris hoſtem? Si enim talis non eſt, cur nobis aduerſatur, quorum innocentia ſatis

nota eſt, hos autem manifeſtis ſceleribus infames ſibi ſocios deligit? Atqui vulgò conſtat, vnumquemq; talem cenſeri debere, quales ſunt, quorum commercijs gaudet. Quòd ſi ergo illum ſequi pergatis, an non idem de vobis etiam erit totius populi iudicium? Et num Deo vos placere putabitis, ſi relictis illis, qui meliores ſunt, talium commercia ſectemini? Quàm chara ergo vobis veſtra fama & vita eſt, illo relicto in viam redite, & priſtinis patrum veſtigijs inſiſtite, &c.

Hîc verò obſeruabis, phariſæos & ſcribas tum præſens hoc Chriſti factum calumniari, tum paſſim aliâs eiuſdem hoſtes eſſe acerrimos. Erant ſcribæ populi & doctrinæ antiſtites, & antiquitus Legis Dei interpretes fuerant. Iidem annalium cuſtodes erant, & vt publici notarij ea penes ſe habebant, quæ ad genealogias, regias imprimis, & ad promiſſi Meſſiæ cognitionem ſpectabant. Sic Eſdras ſcriba doctus & expeditus dicitur in lege Moſis. Et quia horum collegium ad Chriſtum vſque durauerat, Herodes etiam ex illis potiſſimum quærit, vbi Meſſiam naſci oporteat. At Chriſti temporibus maius illis erat humanarum traditionum, quàm ſcripturæ ſacræ ſtudium, quod illis Chriſtus non ſemel exprobrat. Interim apud rude vulgus ſummam eruditionis & ſapientiæ exiſtimationem ſuſtinebant. Phariſæi autem externam vitæ honeſtatem ſectabantur, nec modò coram hominibus iuſtitiæ laudem ſibi vendicabant, verumetiam in ipſius Dei conſpectu ſua ipſorum iuſtitia gloriari conſueuerant. At quia vtrumq; ordinem Chriſtus ſua doctrina arguebat, & proinde illorum authoritati nonnihil decederet, illum ferre non poſſunt, ſed hoſtiliter oppugnant. Et hæc omnibus ſeculis Chriſti ſors futura eſt, vt eos ſibi aduerſarios & hoſtes experiatur, qui humanæ ſapientiæ & iuſtitiæ titulo inſignes, & præclari habentur. Etſi enim illi ſubinde impingant, hi verò non pauca ædant latentis in ipſis & ingenitæ corruptionis ſpecimina, meliora tamen edoceri & argui nolunt, ne errauiſſe videantur. Cumprimis autem illos malè habet, ſi Dei gratiam peccatoribus benignè & gratuitò offerri videant, eò quòd hoc illorum doctrinæ ad quæſtum inſtitutæ, adhæc eorundem exiſtimationi plurimùm derogat. Non eſt ergo quòd Euangelij doctrinam à monachis & ſacrificulis oppugnari miremur, quando illos Iudæorum ſcribis & phariſæis ſimillimos eſſe conſtat.

Phariſæi & ſcribæ hoſtes Chriſti.
Ezr. 7.
Matth. 2.
Matth. 15. 23.
Matth. 6. 23.
Luc. 18.

Deinde hoſtium veritatis ingenium & artes obſeruare prodeſt, quæ in phariſæis hiſce elucent. Primò non ipſum Chriſtum aggrediuntur, quem reſponſurum ſciebant, ſed aduerſus diſcipulos ipſius rudes & imperitos murmurant. Ita olim ſatan, non virum, ſed mulierem aggreſſus eſt, quam inſidijs ipſius magis expoſitam eſſe videbat. Et horum ſimiles ſunt, qui hodie Euangelij miniſtros apud populum diffamant, & fictis criminibus ſuſpectos & inuiſos reddunt: imò ſtudioſè cum illis potiſſimùm colloquia & diſputationes de fide inſtituunt, quos minus inſtructos eſſe ſperant & ad reſpondendum idoneos. Qui ſi quid vel abſurdius vel incautius dixerint, mirum quos illi riſus et cachinnos excitent, & quàm inſolenter triumphos agant, perinde ac ſi Turcarum Imperatorem tota Europa & Aſia eiecerint. Deinde illud calumniantur, quod per ſe malum non erat, ſed commoda aliqua interpretatione mitigari poterat. Nec enim ſtatim peccat, qui cum impijs edit & bibit, modò ad illorum impietatem non conniueat, ſed potius illos emendare cupiat. Interim atrocia illa, quæ in ipſis Chriſtus accuſabat, ſecuri negligunt. Peccabant enim hypocriſi, faſtu & ambitione, auaritia, Legis Dei prophanatione, impoſturis, ſpoliatione viduarum, & infinitis alijs, ſicuti Euangelica hiſtoria teſtatur, de quibus emendandis ne cogitabant quidem. Eſt hoc proprium calumniatoribus vt alienis peccatis ſua palliare conentur: imò vitium hoc mundo vulgare eſt. Fit enim ex ingenita nobis philautia, vt aliorum honori inuideamus, & proinde alios reprehendendi occaſiones vndique venemur. Quòd ſi verò nullum manifeſtum crimen occurrit, impudenter ea calumniamur, de quibus defendendis potius cogitare decebat. Eſt autem vitium hoc execrabile & nulla excuſatione dignum. Nam vt verum ſit, quod in proximi infamiam dicimus, quis inde ad nos ipſos, vel ad proximum, quem traducimus, vel ad auditores fructus redit? At ſi vel inſcij fallimur, aut ſcientes atq; volentes mentimur, non tam proximo nocemus, quàm nobis ipſis. Solet enim ſuorum famam tandem Deus aſſerere, nos verò diaboli membra effecti ſumus, cui ab ipſo ſcelere calumniandi ſiue obtrectandi nomen inditum eſt. Hinc tam graues in ſcripturis aduerſus linguas mendaces & maledicas ſententiæ reperiuntur. Nobis verò illæ eò patientius ferendæ ſunt, quod iiſdem Chriſtum quoq; petitum fuiſſe videmus. Vide Matth. 11. cap.

Ingenium & artes hoſtium Veritatis.
Gen. 3.
Pſalm. 5. 12. 57. 64. 140.
Prouerb. 6, 10.

Chriſtus phariſæorum calumnijs reſpondet.

Porrò tranſeamus ad Chriſtum, qui mox phariſæorum calumniam excipit, etſi probè ſciret, illos nihilò meliores futuros. Sed diſcipulorum ratio habenda fuit, ne illis aliqua ſiniſtra ſuſpicio oborire tur. Nec enim permitti debet, vt impunè graſſentur calumniæ, ex quibus publica ſcandala enaſci poſſunt. Sunt autem duo membra apologiæ Chriſti, quæ ſingula ex ordine videbimus.

Primùm prouerbiali ſententia vtitur, quæ ſimilitudinem vulgò notam continet. Non opus habent (inquit) qui valent medico, ſed qui malè habent. Senſus eſt: Medicus ægrotis conuerſari debet, & illorum curam agere. Ego medicus in mundum veni. Ergo ægrotis conuerſari debeo. Et ſicuti iniuſtè accuſatur medicus, ſi ægrotis ſeſe familiarem præbeat: ita à vobis me quoq; iniuſtè accuſari dico. Ne verò ad animas minus rectè transferri dicerent, quod in corporum morbis curandis rectè

Matth. 9.
Hoſ. 6.

fit, apud Matthæum prophetico teſtimonio probat, ſe miſericordiæ potius quàm vllius alterius rei ſtudium ſectari debere. Nec ſine ignorantiæ turpis exprobratione Scribis dicit: Quin potius ite & diſcite quid ſit illud: Miſericordiam volo, & non ſacrificium. Ita verò præpoſterum illorum ſtudium arguit, quo circa ceremonias externas occupati, officia charitatis negligebant, nec ipſum illis tantum æquo animo ferre poterant.

Peccatores ægrotis conferuntur.

At hic diligentem conſyderationem meretur, quòd peccatores ægrotis confert, & quidem talibus qui medico opus habeant. Qua parabola rurſum phariſæos arguit, qui peccatores inſolenter potius dammare, quàm ad ſalutem lucrifacere ſolebant, & ſimul quo loco nobis peccata eſſe debeant, admonet. Sunt hæc morborum inſtar. Vt enim morbi intra corpus enati, illud debilitant, & tandem mortem afferunt: Ita peccatum ex natiuitate nobis inhærens, & occultis, intra nos ſuggeſtionibus ſeſe

1. Cor. 2.
Gen. 8.
Rom. 7.

exerens, omnes animæ vires debilitare conſueuit. Per hoc enim fit, vt homo animalis non capiat ea, quæ ſunt ſpiritus Dei. Hoc ipſum voluntatem & cordis figmenta ad malum inclinat, omnemq; faciendi bonum facultatem adimit, adeoq; ea nos facere cogit, quæ vetita & noxia eſſe ſcimus, ſicuti de ſemetipſo Paulus fatetur. Et ſicuti qui per morbos membris capti ſunt, ſeipſos iuuare non poſſunt:

2. Cor. 3.

ita nec nos, qui natura peccatores ſumus, quicquam ad noſtram ipſorum ſalutem conferre poſſumus. Niſi ergo aliunde medicus & remedium accedant, in peccatis pereamus oportet, quando illorum ſtipendium mors eſt, vt paſſim ſcripturæ docent.

Chriſtus medicus.

Ita verò laborantibus medicum ſeſe prebet Dei filius, Ieſus Chriſtus, qui mundum hunc non alio nomine ingreſſus eſt, quàm vt de vita & æterna ſalute periclitantibus ſuccurreret. Præſtat autem quæcunq; à fido & perfecto medico expectari ſolent. Huius eſt, vt ægrotos ſibi cordi eſſe patiatur, & iiſdem medicinam lubẽs volenſq; adhibeat. Deinde, vt morbos agnoſcat, & quibus remedijs pelli poſſint intelligat. Vtrumq; Chriſtus habet. Voluntatis enim promptiſſimæ argumentum eſt, quòd non vocatus à nobis venit, & ſponte inuiſens miſeros, ſalutem nobis gratuitò offert, & nos ad illam am-

Iſa. 53.
Hebr. 4.
Ioan. 3.
Galat. 3. 5.

plexandam hortatur. Eſt enim (vt propheta ait) vir ſciens dolorum, & cum noſtras infirmitates expertus ſit, miſeris condolere poteſt. Idem ſaluandi facultatem habet inſtructiſſimam. Nam peccata noſtra in ſe transfert, illa mortis ſuæ merito expiat, et ne morbus rediens maius periculum afferat, ſuo verbo et ſpiritu regeneratos per omnia innouat, vt poſito veteri homine, in ipſo noua creatura reddamur. Hinc vera & perfecta ſalus oritur, quæ nouas quoq; vires ſufficit, & ad omne bonum idoneos & inſtructos reddit. Et hic nobis obſeruanda venit magna Dei bonitas, qui in vno Chriſto

Iſa. 9. 42.
49. 61.
Ioan. 4. 6. 7.
1. Corinth. 1.
Ioan. 14. &c.

omnia dedit, quibus ad ſalutem nobis opus erat. Is enim in tenebris agentibus lux, captiuis redemptor, eſurientibus panis, ſitientibus fons aquæ viuentis, peccatoribus iuſtitia, ſtultis ſapientia, errantibus via & veritas, ægrotis medicus, mortuis deniq; vita & ſalus à Deo patre datus eſt. Quis ergo non Dei gratiam exoſculetur? Quis non Chriſtum hunc amplectatur, ſeq; totum illi conſecret? Sed ô deploratam hominum cæcitatem & ingratitudinem, qui cùm iſta ſcripturæ paſſim de Chriſto prædicent, & exemplis innumeris probata ſint, adhuc tamen de Dei grætia dubitant, & neglecto Chriſto, nouos ſibijpſis ſaluatores comminiſci ſolent.

Chriſtus uenit ſaluandum peccatores.

Sed omiſſis hiſce ingratis gratiæ Dei contemptoribus, alterum reſponſionis Chriſti membrum excutiamus, quo ad ſe transfert & clarius exponit quod per parabolam adumbrauerat. Ait enim: Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam. Iuſtorum hic meminit, non quòd aliqui reperiantur, qui in Dei conſpectu iuſti comparere poſſint, (omnes enim peccauerunt, & deſtituuntur

Rom. 3. 11.

gloria Dei: item, Concluſit Deus omnia ſub incredulitatem, vt omnibus miſereatur) ſed ipſorum ſen-

tentia loquitur, & hypocritas perſtringit, qui iuſti haberi volebant, & ipſius meritum, quoad hac inſolenti propriæ iuſtitiæ fiducia inflentur, nihil ad illos pertinere docet. Ita verò paucis verbis omnem ſalutis noſtræ rationem comprehendit, cuius potiſſima capita ex ordine inſpexiſſe proderit.

Peccatores. 1. Tim. 1.

Primùm propter quos venerit docet. Et hic quidem ſimpliciter peccatores nominat, ne quis aliquod fingat diſcrimen, & ſe excluſum ſuſpicetur. Ita Paulus Chriſtum in mundum veniſſe ſcribit, vt peccatores ſaluos faceret. At peccatores ſunt omnes homines. Omnibus ergo ſaluandis Chriſti meritum ſufficere poterit. Et exempla ſunt eorum, qui haud vulgarium peccatorum remiſſionem in Chriſto inuenerunt: quorum omnium vſus eſt, ne quis peccatorum atrocitate Dei gratiam et Chriſti meritum ſuperari poſſe exiſtimet. Agnoſcamus modò peccata noſtra, & oblatam in Chriſto ſalutem non fucata fide amplectamur, & mox illum nobis ſalutarem experiemur.

Chriſtus peccatores uocat.

Deinde vocandi verbo vtitur, quo rurſum Dei gratiam nobis commendat. Noſtrum ſiquidem erat, Deum vocare in auxilium, & illius gratiam implorare. At quia ea eſt noſtra conditio, vt vel ſecuri in peccatis ſalutem noſtram negligamus, vel illorum conſcientia territi, Dei conſpectum exhorreamus, à Deo vocemur neceſſe eſt. Patres ergo fidos ille imitatur, qui liberos ſuos vel ex puerili inſcitia, vel etiam improba petulantia vagantes, ipſi quærunt, & periculo alicui appropinquantes alto clamore reuocant. Factum hoc in ipſo mundi exordio, quando poſt Adamum fugientem & latebras quærentem clamauit Deus: Adam vbi es? Vocauit idem per Moſem & prophetas omnibus ſeculis, quoſcunq; ad ſalutis & regni ſui conſortium ab æterno elegerat. Et miniſterium ſiue verbum reconciliationis poſtea Apoſtolis horumq; ſucceſſoribus credidit, qui hodie etiam per Euangelium omnes vocant, vt Deo reconcilientur. Hic ergo officij memores nos eſſe decet, vt Deum vocantem ſequamur. Quicunque enim ad nuptias inuitati & vocati venire detrectant, næ illi indigni ſunt, qui gaudij illius cœleſtis conſortes fiant. Vocabunt & pulſabunt etiam illi aliquando, ſed idem ipſis, quod fatuis virginibus reſpondebitur: Amen dico vobis, non noui vos. Matth. 25.

Geneſis 3.

2. Cor. 5.

Matth. 22.

Finis uocationis noſtræ pœnitentia.

Poſtremò finem vocationis noſtræ Chriſtus exprimit, quando pœnitentiæ meminit. Eſt hæc totius hominis ad Deum conuerſio, quæ ex noſtrijpſius & gratiæ Dei cognitione enata, dignos fructus profert, & totum hominem Deo vendicat per fidei obedientiam. Dictum de hac iam ante, quare eadem in præſenti repetere ſuperuacaneum foret. Sufficiat hic monuiſſe, gratuitæ ſalutis in Chriſto prædicationem minimè ijs patrocinari, qui impunem carnis licentiam vel peccandi impunitatem quærunt. Ad pœnitentiam nos vocat Chriſtus, & eandem tanti beneficij conſyderatio requirit. Agnoſcamus ergo Dei gratiam, & Chriſti merito ſaluati, vitam nouam & inculpatam agamus, vt olim nobis cum illo in cœlis uiuere detur: cui debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

## HOMILIA XX.

Et diſcipuli Ioannis ac phariſæorum ieiunabant, ueniuntq; ac dicunt illi: Quare diſcipuli Ioannis ac phariſæorum ieiunant, tui autē diſcipuli non ieiunant? Et ait illis Ieſus: Num poſſunt filij thalami nuptialis, in quo cum illis ſponſus eſt, ieiunare? Venient autem dies, cùm auferetur ab eis ſponſus, & tunc ieiunabunt in illis diebus.

Argumentum & uſus præſentis loci.

Pſalm. 110.

DAuid rex & propheta de Chriſti regno vaticinans, inter alia ait: Dominabitur in medio inimicorum ipſius. Et illum quidem inimicos ſemper habiturum docet, ne in illo nobis ſecuritatem & otium promittamus, ſimul verò eundem inter inimicos ſuos regnaturum teſtatur, ne illorum inſidijs & conatibus territi, de regni ipſius & ſalutis noſtræ perpetuitate dubitemus. Vt verò certior nobis ſit hæc fiducia, exemplis plurimis Chriſti ſapientiam & potentiam, qua hoſtes ſuos eludere ſolet, probari oportuit. Quò cumprimis præſens hiſtoria referri debet. Audiuimus enim Chriſtum à phariſæis et ſcribis accuſatum fuiſſe, quaſi hominum flagitioſorum ſocius et patronus eſſet. Ad quam calumniam ſic reſpondit, vt non ſine magna conſolatione vniuerſum noſtræ ſalutis myſterium tradiderit. Sequitur nouus congreſſus, in quo non modò ſe & ſuos diſcipulos tuetur, verumetiam ieiuniorum rationem luculenter exponit, atq; hoſtium ſuorum hypocriſim validiſſimè confutat.

**Phariſæi & Ioannis diſcipuli ſimul Chriſto aduerſantur. Matth. 9.**

*Vbi primum aduerſarij Chriſti conſyderandi veniunt. Fuerunt hi ex phariſæorum ordine, ſed in ſuas partes pertraxerunt aliquos ex Ioannis diſcipulis, quos ita ſubornarunt, vt ipſi quæſtionem, de qua agitur, proponant, ſicuti Matthæus tradit. Patet hîc, quo ingenio præditi ſint veritatis hoſtes, & quibus artibus pugnare ſoleant. Etſi enim Ioannes Chriſti miniſter & amicus eſſet, & illum non minus quàm Chriſtum phariſæi odiſſent, tamen ex illius diſcipulis nonnullos aduerſus Chriſtum armare poſſunt, eos nimirum, quos vel incautiores, vel externis nimium addictos eſſe, & proinde præpoſtero zelo pro ſui magiſtri gloria certare videbant: quales non paucos fuiſſe, Euangelica hiſtoria docet. Hoc ipſum Paulus expertus eſt, quando Galatæ, qui illum oculis ſuis chariorem habuerant, impoſtorum artibus ab ipſius doctrina alienati fuerunt. Quin in Actis legimus, ex credentium numero eos prodiiſſe, qui iuſtificationem fidei oppugnarunt & eccleſias propè omnes nocentiſſima controuerſia de Circuncisione & Legis operibus turbarunt. Et hodie qui à phariſæorum inſtituto non multum diſtant, fucata externæ iuſtitiæ & ſanctimoniæ oſtentatione Euangelij doctrinam apud eos ſuſpectam & exoſam reddunt, quos præ alijs quidem externæ honeſtatis & diſciplinæ amantes, ſed tamen incautiores eſſe vident, quàm vt ipſorum artes deprehendere poſſint. Quos in huius exempli conſyderatione diligentes eſſe oportebat, ne quibuſuis temere aures præberent, qui veritatis miniſtros accuſant, ne (quod Ioannitis hiſce accidit) Chriſti hoſtes efficiantur, dum pro veritate et religione totis animis pugnare inſtituunt.*

**Ioan. 3.**

**Galat. 4.**

**Veritatis ſors.**

*Elucet præterea quæ in hoc mundo veritatis ſors ſit. Etſi enim mundus diuerſiſſimis peccatorum ſtudijs ſcindatur, nec vnquam ſatis conuenire poſſint, qui ſuis affectibus indulgere inſtituerunt: tamen in veritate oppugnanda idem omnibus animus & voluntas omnino eſt eadem. Ita alibi Phariſæos cum Saducæis & Herodianis conuenire potuiſſe legimus, quando de Chriſto opprimendo agebatur. Sic Pilatus & Herodes, cùm antea diſſiderent, ſubitò amici facti ſunt. Et hodie cùm potentiſſimi monarchæ bellis mutuis ſeſe indeſinenter vexent, vnanimi tamen ſtudio ad veritatis oppreſſionem feruntur. Falluntur ergo quotquot in impiorum diſſidijs aliquid ſpei collocant. In Chriſto enim ſperandum eſt, qui impiorum conſilia facilè turbare poteſt, nec eos vnquam deſeret, qui in ipſius doctrina verè conſentiunt.*

**Matth. 22.**
**Luc. 23.**

**Quæſtio de ieiunijs Chriſto proponitur. Leuit. 16. 23. Iſa. 58. Zach. 7. 8. Matth. 6. Luc. 18. &c.**

*Secundò quæſtionem videamus, qua Chriſtum exagitare conantur. Eſt ea de ieiunijs, ijs nimirum, quæ iuxta hominum traditiones agi conſueuerant. Vnicum ſiquidem in Lege ieiunium Deus inſtituerat, quod menſe ſeptimo in feſto expiationum publicè agebatur. At hoc non contenti ſuperſtitioſi homines, iam olim temporibus prophetarum ex ſemetipſis plura alia, certis ſiue ſtatis temporibus peragenda excogitarant. Tandem qui reliquis ſanctiores haberi volebant, rurſum alia adiecerant, quibus publicè pietatis & ſanctimoniæ laudem venabantur, ſicuti de phariſæis ipſe Chriſtus aliquoties teſtatur. Accommodauerat ſeſe illorum moribus nonnihil Ioannes, cuius vita (vt initio vidimus) perpetuum quoddam ieiunium dici poteſt, eò quòd illius functio diſciplinam vitæ paulo auſteriorem, & quæ ad Legis ſtatuta propius accederet, exigebat, quò facilius admitteretur ipſius de Chriſto teſtimonium. Chriſtus verò, cùm externis ceremonijs aſſuetos in ſublimiorem regni Dei conſyderationem ſubuehere deberet, illa minus obſeruabat, nec ad illorum obſeruationẽ diſcipulos ſuos obſtringebat. Hinc ergo calumniandi occaſionem aduerſarij arripiunt, qua crimen, quod prius illi intentarunt, probare conantur, quando (vt Lucas habet) non ſine ſtomacho dicunt: Quare diſcipuli Ioannis ieiunant frequenter, & obſecrationes faciunt, ſimiliter & phariſæorum, tui verò edunt & bibunt? Non ergo ſimpliciter ieiuniorum intermiſſionem, verumetiam gulæ & crapulæ ſtudium illis exprobrant. Hic enim verborum ſenſus eſſe videtur: Publicanorum & peccatorum ſocius ſiue patronus haberi non vis, & quam cum illis habes conuerſationem hoc nomine excuſas, quòd inſtar medici ad ſaluandum peccatores veneris, & ſimul Dei verbum allegas, qui nos miſericordiæ potius quàm externis ceremonijs ſtudere iubet. Sed age demus hoc tibi, nunquam tamẽ hoc abs te rectè fieri dicemus, quòd diſcipulos tuos, quos iam lucratus es, non melius inſtituis, nec diſciplina ſeueriori cohorces. Si noſtros ſpectes, illi frequenter ieiunant, & aſſidui ſunt in precibus. Tui verò non modò intermittunt iſta, ſed etiam conuiuantur cum diſſolutæ vitæ hominibus. Nec eſt quòd nobis phariſaiſmũ obijcias, aut nos hypocriſis inſimules. Nam quod nos facimus, hoc ipſum Ioannes quoque imitatur, cuius diſcipuli tuos illos, quoad diſciplinam & vitæ honeſtatem, longè excellunt. Aut ergo Ioannem errare dicemus, aut te, qui ab illius exemplo tam procul abes: At Ioannẽ errare haud eſt veriſimile,*

**Luc. 5.**

cùm

tùm ieiunia & preces in ſcripturis paßim commendentur. Te ergo in errore verſari conſtat, & talem eſſe, qualem modò diximus.

Veritas de quibus ferè accuſetur.

Admonemur hoc exemplo. de quibus ferè accuſetur veritatis doctrina. Nimirum quòd contra patrum conſuetudinem & receptos mores ſchiſmata inducat, quòd faciliorem pollicendo ſalutis rationem ſecuros & negligentes faciat, quòd precibus, ieiunijs & bonis operibus obſtet. Hæc enim Chriſto non hic modò, verumetiam ſæpe aliâs obijci videmus. De ijſdem accuſati etiam olim ſunt Apoſtoli. Et hodie hæc ipſa paßim audiuntur. Imò religionis euerſores, bonorum & Diuorum hoſtes dicimur, dum vni Chriſto omnem redemptionis & ſalutis noſtræ gloriam vendicamus. Et facilè admittit eiuſmodi calumnias mundus hic, qui totus ab externis pendet, nec Dei verbum reſpicit, quo vera tum ſalutis tum religionis ratio abſolutißimè traditur. At nos eorum, quæ olim Chriſto & ſuis acciderunt, memores, Dei verbo inſiſtamus, cuius regulam ſecuti nunquam à vero aberrabimus.

Matth. 11.

Chriſtus diſcipulos defendit.

Sed Chriſti reſponſionem audiamus, cuius partes duæ ſunt. Prima diſcipulos excuſat, & argumento à temporis ratione deſumpto docet illis minimè conuenire, vt more phariſæorum aut diſcipulorum Ioannis ieiunent. Filij thalami nuptialis, id eſt, qui ad nuptias inuitati & ſponſi affines ſiue amici ſunt, ieiunare non poſſunt, quoad ſponſus cum ipſis eſt, & nuptiæ durant. At mei diſcipuli ſponſum ſibi præſentem habent, me ſcilicet qui animarum ſponſus ſum, & quem veſter ille Ioannes pro ſponſo agnouit. Abſurdum igitur foret ab illis ieiunia exigere. Nec eſt quod hoc gaudium, quo modò fruuntur, illis inuideatis. Veniet enim tempus, nec procul abeſt, quando ad patrem reuerſus, ipſis non amplius corporaliter conuerſabor. Tunc varijs perſecutionum periculis vndiq; oppugnati ieiunare cogentur. Ideò autem ſponſi & nuptiarum parabola vti voluit, vt illis nimiam oſcitantiam exprobraret, qui Ioannis authoritatem prætexebant, interim eorum immemores, quæ Ioannes de Chriſto tradiderat. Faciunt ergo ad huius loci explicationem, quæ ille diſcipulis ſuis zelo præpoſtero accenſis Ioan. 3. ſic dicit: Qui habet ſponſam, ſponſus eſt: amicus autem ſponſi, qui ſtat & audit eum, gaudio gaudet propter vocem ſponſi. Hoc ergo gaudium meum impletum eſt.

Ioan. 3.

Sponſi & nuptiarum parabola explicatur.

Nobis autem parabola hæc aliquanto diligentius inſpicienda erit, cum vix alia tum in veteris tum noui teſtamenti libris frequentius occurrat. Comprehendit ea vniuerſum noſtræ cum Deo reconciliationis & ſalutis myſterium. Vt enim principes bellis, quæ diu inter ſeſe geſſerunt, per noua coniugia finem imponere conſueuerunt, quò certior & firmior ſit pacis futuræ ſpes, & vtrinque acceptæ iniuriæ facilius in obliuionem veniant: Ita nobiſcum Deus facere voluit, quando filium ſuum Ieſum Chriſtum cœlitus ad nos miſit, qui humanam naturam in ſua perſona diuinæ indiſſolubili & æterno vinculo coniunxit, dum ipſe noſtra caro fieri dignatus eſt, nos autem ſuo ſpiritu & verbo regeneratos, Dei filios & regni cœleſtis hæredes fecit. Docet hoc quanta ſit noſtræ conditionis dignitas, quæ nobis in Chriſto obtigit, & in tentationibus mirificè conſolatur. Quia enim nos ſibiipſi deſpondit Chriſtus, nobiſcum vtique communia habere vult ſua omnia. Deinde firmiſſimum ſit oportet hoc vinculum, quando illud Chriſtus tueri vult ſimul atque poteſt, nec ſibi ſuos eripi patitur. Si enim coniuges legitimè coniunctos abs ſe inuicem diuellere nefas eſt: Num Dei filium paſſurum putabimus, vt ab ipſo ſeparentur, quos ille ſibi perpetuò ſalutis fœdere deſpondit? Rurſum hæc ipſa nos officij admonent. Sponſæ eſt obliuiſci parentum domusq; paternæ, & vni ſponſo adhærere, illum ſuum caput agnoſcere, colere, amare, eidem fidem ſuam ſeruare illibatam, nec vllas vel promißiones vel minas ad impudicitiam ſolicitantes admittere. Hæc ipſa nos quoque Chriſto debemus, cuius gratia parentes, liberos, fratres & fortunas omnes relinquere conuenit, nec vllis vel blanditijs mundi vel tyrannorum minis cedere, ſed illi firmiter adhærere, vnum illum colere, obſeruare, ſequi, & vnicum redemptorem agnoſcere. Hoc qui faciunt, Eccleſia ſunt vera, quæ Chriſti ſponſa dicitur, & cum illo æternum regnabunt.

Ioannis 1.
Epheſ. 5.
Ioan. 10.
Pſal. 45.
Matth. 19.
Epheſ. 5.
Matthæi 10.
Marc. 10.

Ieiuniorum ratio.

Præterea veram ieiuniorum rationem Chriſtus hiſce verbis comprehendit, quæ eò diligentiorem conſyderationem meretur, quòd circa hæc ſuperſtitioſi homines omnibus ſeculis errarunt, & ea ſit noſtra conditio, vt illa in vniuerſum intermittere parum vtile ſit. Eſt enim ieiunium (de quo in ſcripturis agitur) diſciplina ſiue caſtigatio quædam pro neceßitate præſenti ſponte ſuſcepta, qua caro cohercetur, quò minus aduerſus ſpiritum ferociat. Species huius duæ ſunt, publica ſcilicet & priuata. Publica enim ieiunia olim ſuſcipiebantur, quādo Dei ira toti alicui genti imminebat, nec aliud

*illa erant, quàm luctus quidam publicus, in quo pœnitentiæ, precibus & abſtinentiæ omnes vnanimi*
Ioel. 2. *conſenſu ſtudebant. Exempla huius apud Ioelem & Ionam prophetas habentur. Priuatim verò*
Ion. 3. *ieiunant pij, quando carnem inſoleſcere & ſpiritui minus obtemperare ſentiunt: ita vt periculum*
*ſit, ne ſi ita pergat caro, Chriſtum amittant, qui vnicus animarum ſponſus eſt, nec alius ipſis finis*
*in hoc exercitio propoſitus eſt, quàm vt ardentius pietati operam dare poſſint. Quæ cauſa eſt, quod*
*nec modum excedunt, nec ieiunia certis temporibus aſtringunt, nec etiam illa in ciborum diſcri-*
*mine conſiſtere arbitrantur: ſed quoties ita neceſſitas poſtulat, omnia ea carni ſubducunt, quibus illa*
*ferocior fieri conſueuit, ſiue illud cibus ſit et potus, ſiue veſtium luxus, ſiue thori coniugalis vſus, ſiue*
*aliud quiddam huius generis. Ita ergo ſinguli ſibijpſis regula ſunt, nec aliorum placitis gubernari*
Papiſtæ. *opus habent. Solet itaq; bifariàm errari hodie. Papiſtæ enim cum Iudæis & phariſæis peccant, dum*
*ex ſemetipſis ieiuniorum formulam præſcribunt, eadem ad certos dies aſtringunt, ciborum diſcri-*
Matth. 15. *mina (reclamantibus Chriſto & Apoſtolis) conſtituunt, & ieiuniorum merito Dei gratiam atq; ſa-*
1. Timoth. 4. *lutem tribuunt. Rurſum qui Euangelium profitentur, Papiſticos quidem abuſus damnare, & Chri-*
Rom. 14. *ſtianam libertatem iactare ſolent, ſed eadem ad carnis licentiam abutuntur, & ſpreta omni ieiunio-*
Pſeudoeuange- lici. *rum doctrina voluptatibus aſſiduè indulgent. Et licet vel publicis malis eccleſias vaſtari, vel Chri-*
*ſtum ab ipſis quaſi diſcedere videant, dum verbi & fidei zelus paulatim in illis intermoritur, nun-*
*quam tamen de carne cohercenda cogitant. Eſt hæc non poſtrema malorum noſtri ſeculi cauſa. Di-*
*gni enim ſunt, aduerſus quos Dei ira magis exardeſcat, qui nec publicis neq; priuatis periculis ad pœ-*
*nitentiam & ſerium ſalutis ſtudium excitari poſſunt, quin potius Deo ad hoc illos vocanti quaſi in*
*faciem inſultant. Teneamus ergo Chriſti Ieſu regulam, & temperantiæ ſtudio aſſueti, carnis pe-*
*tulantiam coherceamus. Ita enim fiet, vt dum hic viuimus, ſuo ſpiritu nobis cohabitet, tandem verò*
*ad cœleſtes nuptias ſecum inducat, vt æterno gaudio fruamur. Ipſi debetur benedictio, honor, gloria,*
*& poteſtas in æternum. Amen.*

## HOMILIA XXI.

Et nemo aſſumentum panni rudis aſſuit ueſtimento ueteri, alioqui aufert ſupplementū eius nouum à ueteri & peior ſciſſura fit. Et nemo mittit uinum muſtum in utres ueteres, alioqui diſrumpit uinum muſtum utres, & uinum effunditur, & utres pereunt: ſed uinum muſtum in utres nouos mitti debet.

Argumentum & uſus præſentis loci. *EXpoſuit Marcus Chriſti Ieſu cum phariſæis concertationes, quarum altera de ipſius cum pec-*
*catoribus conuerſatione, altera de ieiunijs inſtituta fuit. In vtraq; verò ita reſpondit Chriſtus,*
*vt quod illi præterea obijcerent, non habuerint. At quia mirum videri poteſt, illum reſponſio-*
*nibus tam cordatis tamq; ſolidis nihil apud eos profeciſſe, penes quos ſumma erat apud Iudæos ſan-*
*ctitatis & eruditionis exiſtimatio, nec aliud grauius ſit ſcandalum, quàm ſi tales Chriſto & Euan-*
*gelij doctrinæ aduerſari videamus: In præſenti cauſas exponit quibus illi impediantur, quo minus*
*ipſius doctrinam recipiant, ſimulq; ipſorum incurabilem ſuperſtitionem & hypocriſim arguit. Vnde*
*diſcemus, quæ remoræ etiam noſtro ſeculo Euangelio cumprimis obſtare ſoleant, & quales eos eſſe*
*conueniat, qui illud aliquo cum fructu audire cupiunt. Eſt ergo locus hic conſyderatione diligenti*
*digniſſimus, imò neceſſarius, qui nunquam nobis non ob oculos verſetur. Quæ cauſa eſt, quod ſimili-*
*bus rem omnem Chriſtus complecti voluit, vt clarius à nobis perſpici poſſet, & eiuſdem recordatio*
*facilius in animos noſtros recurreret.*
I. Simile ex re ueſtiaria. *Primum ex re veſtiaria petit, dicens: Nemo aſſumentum panni rudis aſſuit veſtimento vete-*
*ri, &c. Per vetus autem veſtimentum inueteratam & longo vſu ſtabilitam ſuperſtitionem, adeoq;*
*ipſos phariſæos atq; ſcribas intelligit, qui in patrum traditionibus ita conſenuerant, vt illis renun-*
*tiare nec vellent nec poſſent. Nouum verò aſſumentum dicit Euangelij doctrinam, quæ ipſis quidem*
*noua videbatur, cum per ſe vetuſtiſſima, nec alia ſit, quàm quæ primis promiſſionibus de ſemine be-*
*dicto,*

nedicto,ex muliebri ſexu & Abrahami poſteritate naſcendo,continetur. Senſus ergo verborum eſt: Gene. 3. 22.26.
Non mirum videri debet, Ioannem quoad ieiunia & totam vitæ conuerſationem aliquid vobis con 28.&c.
donaſſe,& vos à mea doctrina tam vehementer abhorrere. Ea enim inſtar panni noui & rudis eſt,
ſi vobiſcum conferatur, qui patrum traditionibus aſſueti,religionem ſimul & vniuerſam ſalutis rationem in externis conſiſtere arbitramini. Niſi ergo veteres illos animos,& doctrinam cui aſſueuiſtis reijciatis,nihil apud vos mea doctrina vnquam proficiet.

Obſeruabis autem,quòd ſuperſtitioſas hominum traditiones,& iuſtitiam quæ in harum obſeruatione conſiſtit, veteri & laceræ veſti confert,ita nimirum docens, quàm inanes ſint atque inutiles. Habet enim illa quidem nomen veſtis,ſed quod veſtis præſtare debebat,minimè præſtat,quando nec tegit,nec ornat,nec calefacit. Ita quæ ex humanis traditionibus dependet iuſtitia,apud homines quidem iuſtitiæ nomen obtinet, coram Deo autem minimè præſtat ea, quibus nobis opus erat. Externo enim fuco ſeſe venditans,ingenitam nobis corruptionē & quæ ex illa promanant peccata,tegere non poteſt,quo minus illa Dei oculis pateant,qui cordium & renum arcana ſcrutatur. Similiter nec ornatum affert, qui diuinæ maieſtatis oculis placere poßit, cùm illa hominum traditiones iam olim damnauerit, & ſe fruſtra ab illis coli teſtetur, qui hominum doctrinas tradunt. Exemplum eius rei in primo parente noſtro ſcriptura proponit, qui etſi nuditatem ſuam ficuum folijs tegere inſtituiſſet,eatamen Deum latere non potuit, imò nec latebras quæſiuiſſe profuit,cùm in conſpectū ſuum Deus illum protrahere vellet. Accedit his neceſſariò,quòd totus iſte humana iuſtitiæ apparatus,nec mentes hominum Dei amore inflammare,nec conſcientiæ horrores profligare poteſt. Frigent enim in cœleſtium conſyderatione animi noſtri, quàm diu externis ſolis occupantur. Nec quicquam eſt quod conſcientiæ terroribus mederi, & conſternatas ex peccatorum cognitione mentes recreare poßit, præter ſolam Dei gratiam, cuius cognitio atque guſtus non ex hominum traditionibus, ſed ex Euangelij doctrina percipitur, quo Chriſtum Ieſum nobis ex gratia datum eſſe, & in eodem nobis omnia exhiberi docet,quæcunque ſaluti noſtræ inſeruiunt. Verißimè enim à Chriſto dictum eſt: Omnis qui bibit ex aqua hac (quam ipſe nimirū proprijs viribus haurit )ſitiet iterum:quiſquis autem biberit ex aqua,quam ego ei dabo, non ſitiet in æternum,&c. Probant hoc omnium ſeculorum exempla,quando conſtat nullum vnquam ſuperſtitionum finem eos inuenire potuiſſe,quicunque circa hominum traditiones occupati fuerunt. Nec exemplis longè petitis eſt opus,quando ſinguli quid non ita pridem in Papatu paßi ſint, ſatis meminerunt. De nuptiali ergo veſte cogitemus: Chriſto nimirum,qui ſuæ iuſtitiæ merito omnes in ſe credentes veſtire conſueuit,& in iiſdem verum diuinæ iuſtitiæ ſtudium ſpiritus ſui operatione incendit. Nec vnquam illud Chriſti excidat: Niſi abundauerit iuſtitia veſtra plus quàm ſcribarum & phariſæorum, non poteritis ingredi in regnum cœlorum: Matth.5.

Humanæ traditiones & ſuperſtitiones laceræ ueſti cōferūtur.

Pſalm.7.
Iſa.29.
Matth. 15.

Ioannis 4.

Matth.22.
Galat.3.

Præterea obſeruandum erit, hominum traditiones cum Euangelio coniungi aut conciliari non poſſe,& qui id conantur,nō aliud efficere, quàm quòd omnem religionem paulatim euertunt. Nam quemadmodum qui laceras & attritas veſtes pannis nouis ſarciunt, rupturas mox maiores reddunt: Ita qui Euangelij doctrinam & veræ fidei profeßionem cum ſuperſtitionibus coniungunt, illam quidem turpiter prophanant, has verò augent atque confirmant, adeoq; incurabiles reddunt, dum eas ementito Euangelicæ doctrinæ ornatu veſtiunt. Eſt itaque ſumma inter hæc diſſenſio,nec vlla extra Chriſtum ratio apparet, quæ diuina cum humanis conciliare poßit. At vbi Chriſtus admittitur, qui nobis à Deo ſapientia factus eſt, humana ſapientia cum ſuis traditionibus procul cedat oportet. Chriſtus enim oues ſuas non aliam quàm ſuam vocem, quæ in Euangelio ſonat, audire vult, & ab eiſdem fidei obedientiam exigit, quæ omnem carnis intellectum Dei verbo ſubijcere conſueuit. At humanæ traditiones carnis zelum probant, & quæ bona intentione fiunt, Deo placere docent,ſicq; Dei verbo omnem authoritatem adimunt. Quis enim illius vſus eſt amplius, ſi noſtrorum animorum intentio ſufficit? Quòd ſi verò ipſam Dei legem inſpicias, in illius quoque ſenſu nunquam conuenire poteſt cum Chriſto humanæ ſapientiæ. Hæc enim externam modò iuſtitiam exigit, & illam noſtris viribus præſtari poſſe ſentit, Chriſtus verò in ipſos hominum animos penetrans,illos totos ſub fidei obedientiam vendicat, & nobis vires eſſe negat, quibus illam præſtemus. Rurſum, humanæ traditiones noſtrorum operum meritis peccatorum remißionem tribuunt.

Traditiones hōminum cum Euangelio cōiungi non poſſunt.

1. Corinth.1.
Ioan.10.
2.Cor.10.
Rom.1.16.

Matth.9.

Act.4. Euangelium verò vnum Chriſtum monſtrat, extra quem nullum aliud nomen eſſe docet, per
Galat.3. quod ſaluari poßimus, ſimulq́ anathema pronunciat eos, quicunque aliam ſalutis rationem prædicant. Longè ergo falluntur, qui noſtri ſeculi controuerſias de religione non adeò graues eſſe, ſed facilè conciliari poſſe exiſtimant, modò ſolitum rigorem & auſteritatem deponant qui Euangelij præcones ſunt. Quorum conſilia ſi admittantur, hoc vnum efficient, quòd incurabilis fiet omnium religionum confuſio, & tandem hominum mentes ab omni prorſus religione alienos reddet. Vt enim in agricultura ſpinas prius extirpari conuenit, ſi ſemen germinare & fructum facere velis: Ita niſi è medio tollantur ſemel omnia, quæcunque cum Euangelij doctrina pugnant, nunquam illa fructus dignos proferet. Ex paruulis enim reliquijs ingentes errorum cumulos pullulare videbimus.
Deut.7. Hinc illa de altaribus diruendis, & idolis confringendis præcepta extant, quæ adeò diligenter obſeruari voluit Deus, vt aurum quoque abijcere & exurere iubeat, quod idolis aliquando conſecratum fuit. Et non ſemel notantur Reges, qui in reformanda quidem doctrina & religione non malam omnino operam nauauerunt, ſed excelſa reliquerunt, quæ olim falſi cultus officinæ fuerant. Et vtinam non extarent noſtri ſeculi exempla, quæ abundè docent, quàm periculoſum ſit aliquas extare veteris ſuperſtitionis reliquias ſiue inſtrumenta. Hinc enim peccandi occaſionem petunt, qui ſub Euangelij prætextu ſua quærunt, & ſimul reſtitutionis ſpes datur ſuperſtitioſis, qui eccleſiarum reformationi reluctantur: præterea anteceſſorum præiudicijs grauantur ſucceſſores, vt minor ſit eorum in illis oppugnandis authoritas. Eſt ergo omnibus tum miniſtris tum magiſtratibus probè obſeruanda hæc Chriſti ſententia, ne nouum & rudem Euangelij pannum ſuperſtitionibus, quæ reuera veſtis vetus & lacera ſunt, aſſuere conemur, ſed in illis euertendis induſtria & zelo indefeſſo vtamur.

II. Simile ex re vinaria. Alterum ſimile ex re vinaria petit, ad veterum morem reſpiciens, qui vinum vtribus ex corio aut pellibus factis condebant, quod ipſum hodie etiam apud nonnullas gentes fieri conſueuit. Senſus autem omnino idem eſt, niſi quòd damnum ſiue iactura ſalutis clarius exprimitur. Vt enim vinum muſtum, ſi vtribus vetuſtis committatur, & vtres rumpit, & ipſum effunditur: Ita ſi Euangelij doctrinam animis veteri ſuperſtitione adhuc imbutis committas, mox & ipſos homines perire, & Euangelium ipſum grauem iacturam pati ſenties. Paulatim enim omnem religionem dediſcunt, & Epicuræi fiunt, quos prius aliquis ſaltem religionis ſenſus in officio continebat. Euangelium verò apud tales diffluit, & Chriſtus planè inutilis redditur, quando illi nec cum ſuperſtitionibus nec cum impia peccandi licentia quicquam commune eſſe poteſt. Cæterum hic nobis tria occurrunt, quorum conſyderatio hodie cumprimis neceſſaria eſt.

1. Euangelium uino confertur. Primò Chriſtus Euangelium vino confert, & quidem nouo ſiue muſto. Quæ ſimilitudo omnem Euangelicæ doctrinæ rationem comprehendit. Vt enim vinum, ſicut & alij terræ prouentus, Dei
Ephes.4. donum eſt: Ita Euangelium ex ſingulari Dei gratia datur, qui ſolus miniſtros dat & meſſores
Matth.9. in meſſem ſuam extrudit. Et Chriſtus ait: Doctrina mea non eſt mea, ſed eius qui miſit me. Vi-
Ioan.7. num nouum acorem habet, & guſtum acutius penetrat: Ita Euangelij doctrina carni acerbior vi-
Hebr.4. detur, & mox intimos quoque cordis receſſus penetrare conſueuit, quo nomine Apoſtolus illud gladio ancipiti confert, qui rectè vibratus ad medullas & intimas vſque compages deſcendat. Vt verò
1.Pet.1. vinum, ſi ritè bibas, vires recreat & mentem exhilarat: Ita Euangelium læto partæ ſalutis nuntio conſcientijs gaudium affert, & animos ad pietatis ſtudium efficaciſsimè excitat. Vt denique vinum totum hominem quaſi immutat: Ita Euangelium, cum æternum illud regenerationis ſemen ſit, vniuerſam hominis naturam innouat, & inſolitum in nobis diuini amoris ignem incendit.

2. Vnde noſtri ſeculi corruptio. Vnde ergo publica hæc & quaſi generalis noſtri ſeculi corruptio, de qua hodie in tam manifeſta Euangelij luce omnes bonos paßim conqueri audimus? Hinc nimirum, quòd ſalutare illud Euangelij vinum plerique in veteres vtres recondunt, dum animos vel Papiſtica ſuperſtitione adhuc imbutos, vel ad effrenem peccandi libidinem procliues afferunt. Etſi enim priores illi manifeſtos errores & abuſus, qui in Papatu ſunt, negare non poſſint, & quoad illos Euangelio non grauatim accedant, quia tamen regenerationis myſterium non intelligunt, nec ad ſalutis rationem, quæ in Chriſto habetur, attendunt, Papatum quidem odiſſe ſolent, Euangelium verò non ex animo amplexantur,

& ita

& ita tandem omnis religionis expertes fiunt. Alteri verò Papatũ propter Confeſsionis auricularis & ieiunij quadrageſimalis diſciplinam & ſacrificulorum tyrannidem oderunt, Euangelio verò ad carnis licentiam abutuntur. Vtriq; ergo profeſsione tantum Euangelici ſunt, vt primùm verò acrius punguntur & liberius ſui officij admonentur, Papatum Euangelio præferunt, & tritum illud de vino dictum ſonant: Vetus melius eſt. Ita & ipſi pereunt, & Euangelium apud eoſdem effunditur, dum ſua leuitate illud impijs deridendum propinant.

Lucæ 5.

Itaque de remedio cogitandum erit ſeriò, quod ipſum in præſenti Chriſtus monſtrat, dum vinum nouum in vtres nouos mitti debere ait. Animos ergo ab omni ſuperſtitione & peccandi licentia repurgatos requirit. Vt verò tales habeantur, primò publica authoritate tollantur oportet, quæcunq; cum Euangelij doctrina pugnant. Et hic ſanctiſsimorum Regum exempla imitari conuenit, qualis Ioſias fuit, & Ezechias, qui ne ſerpenti quidem æneo parcendum putauit, cùm illo ad idololatriam Iudæi abuterentur. Deinde non minus publicis legibus cohercenda erit peccandi licentia, ne propter aliquorum improbitatem Euangeliũ malè audiat. Præterea diligentiſsimam iuuentutis curam habere conueniet, vt illa à teneris annis puriori religioni aſſueſcat, & ſuperſtitionem odiſſe diſcat: qua de re ſingularia Dei præcepta in ſcripturis habentur. At negliguntur hodie, proh dolor, iſta omnia. Relinquuntur quæcunq; aliquam quæſtus ſpem præbere poſſunt, imò ea quoq;, quæ carnis licentiam fouent, & illicitis voluptatibus occaſionem præbent aliquam. Impunè graſſantur vitia. Iuuentutis cura neglecta iacet. Niſi ergo de hiſce emendandis ſeriò cogitetur, peribunt tandem veteres illi & inutiles vtres, diffluet verò Euangelium, & transferetur regnum Dei ad gentem, quæ fructus dignos faciet. Oremus ergo Deum patrem miſericordiæ, vt animos noſtros ipſe innouare dignetur, vt in Chriſto Ieſu noua creatura ſimus. Ipſi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas. Amen.

3. Corruptionis noſtri ſeculi remedium.
2. Reg. 18. 22. 23. &c.
Deut. 6.
Exod. 13.
Pſal. 78.
Matth. 21.

## HOMILIA XXIII.

**Et accidit ut tranſiret ſabbatis per ſegetes, & cœperũt diſcipuli eius inter eundum uellere ſpicas, & phariſæi dicebant illi: Ecce, cur faciunt ſabbatis quod non licet? Et ipſe ait illis: Nunquam legiſtis quid fecerit Dauid, cùm opus haberet, & eſuriret ipſe, & qui cum eo erant? Quomodo ingreſſus ſit in domum Dei ſub Abiathar principe ſacerdotum, & panes propoſitionis comederit, quos non licet edere niſi ſacerdotibus? & dederit etiam ijs qui ſecum erant? Et dicebat illis: Sabbatũ propter hominem factum eſt, non homo propter ſabbatũ. Itaq; Dominus eſt filius hominis etiam ſabbati.**

QVoniam Dei filius humani generis doctor & ſaluator in mundum venit, omnibus ijs mederi debuit, quæ veræ ſalutis cognitioni obſtant. Inter hæc potiſsima ſunt, humanarum traditionum obſeruatio, & ſuperſtitioſa ceremoniarum, diuinitus licet traditarum, fiducia. De illa nuper egit contra inanem ieiuniorum obſeruationem diſputans: vbi oſtendit, hoc potiſsimum Iudæis obſtare, quò minus in veritatis cognitione proficiant, quòd veteres pannos & vtres deponere nolint. Sequitur de ſuperſtitioſa fiducia externorũ, quæ diuinitus inſtituta ſunt, de quibus occaſione ex ſabbati religione deſumpta diſputat: ita nimirum rem proponens, vt non ſabbati modò rationem veram ediſſerat, ſed ſimul quis verus omnium externorum vſus, quiſúe abuſus ſit, declaret. Ordo hiſtoriæ hic eſt.

Argumentum & uſus præſentis loci.

Primò factum diſcipulorum Chriſti deſcribitur, quod præſenti tractationi occaſionem præbuit. Sabbatis vnà cum Chriſto ſegetes tranſeunt, & quia eſuriunt, ſpicas auulſas & manibus contritas edunt, quod illis aliâs per legem facere licebat. Quæ cauſa eſt, quòd non furti aut rapinæ, ſed duntaxat ſabbati violati accuſantur. Vbi primùm Chriſtus occurrit inſpiciendus, qui diſcipulos ſuos eſurire patitur, quod facilè prohibere poterat, ſicuti ex multis ipſius miraculis abũdè patet. Sed partim præſenti diſputationi occaſionem præbere, partim ſuos ad inopiam & quæuis aduerſa ferenda præparare voluit. Manebant enim illos poſt Chriſti diſceſſum omnis generis tribulationes, paupertas,

I. Occaſio præſentis tractationis.
Matth. 12.
Deute. 23.
Chriſtus ſuos eſurire patitur.

Philip. 4. / Matthæi 6. / Luc. 21. / Epheſ. 5.

*fames, nuditas, contemptus & perſecutiones aßiduæ. Quæ ne illis inſolita viderentur, paulatim hos eos aſſueſcere oportuit, vt (quod Paulus de ſeipſo ſcribit) ſaturari ſcirent & eſurire, abundare & penuriam pati. Et ſanè debebant hoc ſinguli in exemplum trahere, vt quando abundant & pace alta fruuntur, ſeſe aduerſis ferendis aſſuefacerent, & diſcerent paucis contenti viuere. Hoc enim & præſenti vitæ conducit, dum multis curis & ſolicitudinibus nos liberat, & ſimul regno Dei magis idoneos reddit, quod ab illis nunquam percipi poterit, qui vel ethnicorum more de victu & amictu ſoliciti ſunt, vel carnis voluptatibus ſe totos immergunt. At quia hodie contra Chriſti præceptum intemperanter helluamur, ipſi nobis inopiæ & egeſtatis authores ſumus, quam dum ferre non poſſumus, fidem quoq; abnegamus, & pecuniæ cauſa quiduis à nobis impetrari patimur.*

Zelus et ſtudiũ Apoſtolorũ erga Chriſtum. / Lucæ 22.

*Præterea Apoſtoli nobis obſeruandi veniunt, in quibus admirabile ſalutis ſtudium cernitur. Reliquerant illi propter Chriſtum ſua omnia, & qui domi habebant vnde viuerent (ſicuti ſupra in Petri & Matthæi hiſtoria patuit) nunc famem ſuſtinent, nec tamen ideò Chriſtum deſerunt. Quin in vltima Cœna interrogati, nunquid illis vnquam defuerit, nihil ſibi defuiſſe teſtantur. Cauſa tanti ardoris fuit, quòd iuſtitiam eſurierunt, & regnum Dei ſibi ante omnia quærendum eſſe putarunt. Non ergo ſenſerunt quæcunq; corpori accidebant incommoda, dummodò Chriſto Ieſu, qui panis vitæ & fons aquæ viuentis eſt, frui & ſaturari poſſent. Hos itaq; ipſi quoq; imitemur, ſiquidem non falſi ſectatores Chriſti haberi volumus. Renuntiemus ijs quæ in mundo ſunt, quando in hoc nihil eſt, quod animas noſtras ſaturare & tranquillas reddere poßit. In vnum verò Chriſtum intenti, illum per quæuis aduerſa ſequamur, & pro excrementis, imò nocentißimis rebus ducamus ea omnia, quæ nos ab illo abſtrahere ſolent. Vide Paulum Philip. 3. cap.*

II. Phariſæi factum diſcipulorum Chriſto exprobrant. / Geneſis 2. / Exod. 20. / Num. 15. / Exod. 16.

*Secundo loco phariſæi producuntur, qui non modò diſcipulos accuſant, verumetiam illorum factum (vt Matthæus habet) Chriſto, tanquam diſſolutioris diſciplinæ authori, exprobrant. Ecce (aiunt) tui diſcipuli faciunt, quod non licet facere in ſabbato. Ita verò ipſum vulgo ſuſpectum & inuiſum facere conantur, ſeq; cauſam planè plauſibilem ſuſtinere putant, quando ſabbati religio non humanis traditionibus nitebatur, ſed à Deo in ipſa mundi origine inſtituta, deinde in lege confirmata & ſub capitalis ſupplicij comminatione mandata erat. Nec mirum eſt, phariſæos ob ſpicas manibus contritas violati ſabbati accuſare Chriſti diſcipulos, quando eò ſuperſtitionis Iudæorũ Rabbini progreßi ſunt, vt ſcelus vix venia dignum putent, ſi quis ſabbato vel pomũ igni admoueat, vel herbam calcando euellat, vel arborem ſcandendo ramum frangat, vel etiam ſalientem pulicem capiat. Qui in præſenti cauſa Dei exemplum imitari velle videntur, qui ne diebus ſabbati Manna colligerent vetuit. At nimis rigidè in Chriſti diſcipulos torquent, quod à Deo ad coercendam gulam & indefeſſum ventris ſtudium olim mandatum fuerat.*

Hypocritarum ingeniũ & mores. / Mat. 15. 23. etc. / 2. Cor. 2. / Ioan. 3.

*Cæterum in phariſæis hiſce probè exprimitur hypocritarum ingenium, qui perpetui veritatis hoſtes eſſe conſueuerunt. Sequuntur paßim Chriſtum, vt nimirum videri poßit, homines qui tanto illum odio flagrabant, tam rarò ab illo digreſſos fuiſſe, vel tantũ potuiſſe in illo ſequendo vel moleſtiæ vel temporis conſumere. Sequuntur autem, non vt diſcant & in pietatis ſtudio proficiant, ſed vt calumniandi occaſiones inueniant. Deinde res minimas & quæ nullius momenti ſunt, malignè notant, nihil interim de ijs ſoliciti, ſine quibus nec religio nec ſalus hominis conſiſtere poteſt: quod ipſum nõ ſemel in illis Chriſtus reprehendit, quando ab illis culicem colari, camelum verò deglutiri ait. Et ne quid prætermittant, Chriſto non ſine dente objiciunt, quod ab ipſius diſcipulis fiebat. Imitantur hos noſtro ſeculo, qui cùm Euangelicæ veritatis acerrimi hoſtes ſint, tamen ſacros cœtus frequentant, conciones audiunt, & fidelium commercijs ſeſe inſinuant: id verò omne non alio fine aut inſtituto faciunt, quàm vt calũnientur, ſi quid in ſpeciem cum charitate aut honeſtate aut fide vera pugnare videtur. Quò fit, quòd in ſolis externis hæreant, & quicquid vſpiam fit ab ijs, qui Euangelium profitentur, id vel illius miniſtris, vel etiam ipſi Euangelio impingunt. Ita verò Euangelij odor illis exitialis eſt, qui electis & Dei timentibus ſalutifer eſſe conſueuit. Porrò noſtrum eſt, hoſtium noſtrorum malignitate bene vti, vt eò cautius atque diligentius vocationem noſtram tueamur, quò magis nos totius mundi oculis expoſitos eſſe ſcimus. Vt enim veritatis lucem mundus hic odit: ita acutißimè obſeruat quicquid in huius ignominiam detorqueri poteſt, nec ea quæ per Euangelium docemur, ſed quæ à nobis contra Euangelij præſcriptum fiunt, notare conſueuit. At horrendum ſcelus eſt,*

ſi peccando

ſi peccandi licentiam eò vſq; progredi patiamur, vt propter nos Chriſti doctrina malè audiat. Reſpexit huc Dominus, quando nos ciuitati in monte ſitæ confert, quæ abſcondi non poteſt, ſimulq; monet, vt opera noſtra luceant coram hominibus, quò per ea pater noſter cæleſtis glorificetur. Vide Matthæi quinto.

III. Chriſti apologia.

Tertiò Chriſtus inducitur, qui nec ſuæ nec diſcipulorum ſuorum cauſæ vnquam deeſt, & proinde argumentis validiſsimis aduerſarios ſuos confutat. At quia hic breuitati ſtudet Marcus, quædam nobis ex Matthæo interſerenda erunt, qui quatuor argumentis Chriſtum ſuos defendiſſe ſcribit.

1. Exemplum Dauidis. 1. Sam. 21. Ierem. 23. Ezech. 34. &c.

Primùm à Dauidis exemplo argumentatur, quo interim diſcipulos quoq; conſolari videtur, dum veterem typum illis in mentem reuocat. Conſtabat enim Dauidem Chriſti typum fuiſſe, qui propterea Dauidis filius & ipſe Dauid dicitur. Quid ergo mirum erat, Chriſtum pauperem oberrare, & ipſius ſectatores interdum eſurire, quando hoc ipſum olim Dauidi accidit, qui poſtea ad ſummum regni faſtigium euectus eſt? Quoad verò phariſæos, non abſq; morſu exemplum allegat, cùm ait: Nunquam legiſtis? Senſus enim eſt: Aut nunquam legiſtis Dauidis hiſtoriam, aut legiſtis. Si nunquam legiſtis, næ inexcuſabilis eſt veſtra negligentia, cùm doctores & magiſtri eccleſiæ haberi velitis. Si verò legiſtis, & nihilominus diſcipulorum meorum factum reprehenditis, maligni omninò & inuidi nimis calumniatores eſtis, cùm hoc ipſorum factum eadem ratione, qua olim Dauidis, excuſari poßit. Nam panes propoſitionis edere non minus prohibitum fuit laicis, quàm ſabbatum violare. At Dauid eſuriens illos comedit, & ſocijs ſimiliter eſurientibus comedendos dedit, nec hoc illi vitio datur. Cur ergo meos hoſce reprehenditis, quos eadem famis neceßitas excuſat? Vbi obiter hoc quoq; obſeruandum venit, Dauidem nec promißi regni dignitate aut priuilegio, nec ſacerdotis diſpenſatione, ſed ſola neceßitate excuſari. Niſi enim hæc vrgeat, & quidem ineuitabilis, nulla eſt tanta alicuius hominis authoritas, ſub cuius prætextu diuinæ leges violari debeant. Arguit hoc noſtri ſeculi tyrannidem, quando in principum & opulentiorum gratiam de omnibus penè tam diuinis quàm humanis legibus Epiſcopi & Pontifices diſpenſant, pauperiores verò, etſi adamantina neceßitate premantur, magis conſtringunt. Similiter & illi confutantur, qui illuſtribus perſonis quiduis licere putant, & nunquam non illud in ore habent: Auguſtus & Auguſta non tenentur legibus. At aliter Deus ſtatuit, qui librum legis à Rege nunquam deponi vult, & Saulis aliorumq; regum ſui populi inobedientiam grauißimè puniuit.

Leuit. 24.

Dauidis factum ſola neceßitate excuſatur.

Deut. 17.

2. Exemplum ſacerdotum.

Porrò ne Dauidis exemplum nihil ad præſentem cauſam facere dicerent, eò quòd alia ſit panum propoſitionis quàm ſabbati ratio, aliud exemplum ab ipſis ſacerdotibus deſumptum adducit. Annon legiſtis (inquit) in lege, quòd ſabbatis ſacerdotes in templo ſabbatum profanant, & crimine vacant? Quaſi dicat: Si Dauidis exemplum reijcitis, agedum aliud proferam, ſacerdotum ſcilicet, qui die ſabbati pecudes mactant, excoriant, diſſecant, ligna ſcindunt, & infinita alia faciunt, quæ abſque labore fieri non poſſunt. Vnde facilè patet minimè admitti debere rigidam illam præcepti de ſabbato expoſitionem, quæ ſuperſtitioſa potius quàm religioſa & pia cenſeri debet. Quòd ſi ſacerdotes templi religione excuſari dicatis, & quòd cultui diuino ſeruiant quæcunque ab illis fiunt: rurſum potior erit meorum diſcipulorum cauſa, quando illi mecum verſantur, et famem patiuntur ne à me diſcedant, qui templo maior ſum, adeoq; ille ipſe ſum, qui per templum & ſacra illius omnia figuratur.

3. Prophetæ teſtimonium. Hoſ. 6. Matth. 9.

Tertio loco prophetæ teſtimonium affert, quo etiam alibi vſus eſt, dicens: Quòd ſi ſciretis quid ſit, Miſericordiam volo, & non ſacrificium, nequaquam condemnaſſetis inſontes. Si enim miſericordiæ & charitatis opera ipſis quoque ſacrificijs Deus præfert, quibus nihil in toto illo cultu externo auguſtius & ſanctius habetur, num illum velle putabitis, vt propter ſabbati religionem aliquis hominum pereat?

4. Ab hominis dignitate & fine ſabbati. Gen. 1. 2. Pſalm. 8. &c.

Quartò ab hominis dignitate & fine ſabbati argumentatur. Vt reliqua omnia propter hominem condita ſunt, vt illius vſibus & conſeruationi inſeruiant: Ita ſabbati quoque otium hominis cauſa Deus inſtituit, non vt huius ſuperſtitioſæ obſeruationi homo ſeruiliter ſubiectus eſſe debeat. Nam & ſabbati dominus eſt filius hominis. Id verò tam de Chriſto, quàm quouis homine Chriſtiano intelligi poteſt, iuxta illud Pauli: Omnia veſtra ſunt, ſiue Paulus, ſiue Apollos, ſiue Cephas, ſiue mundus, ſiue vita, ſiue mors, ſiue præſentia, ſiue futura: omnia, inquam, veſtra ſunt, vos autem Chriſti, Chriſtus autem Dei. 1. Cor. 3.

*Quomodo homo ſabbati & externorum omnium ſit dominus?*

*Cæterum iſta non ſic accipi debent, quaſi homini in his pro ſuo arbitrio quiduis ſtatuere & agere liceat: ſed verum omnium externorum vſum Chriſtus tradit, ne illis per ſuperſtitionem ad noſtrum ſiue aliorum hominum interitum abutamur, quæ noſtræ ſalutis cauſa Deus inſtituit. Et de vera ſabbati obſeruatione in ſequenti hiſtoria plenius dicetur. Nunc obſeruaſſe ſufficiat, externa omnia charitati cedere debere, ne laqueus ijs inijciatur, quos neceſsitas ineuitabilis aliò vocat. Quòd ſi quæ diuinitus inſtituta ſunt, charitati cedere debent, quantò magis humanas traditiones illis cedere conuenit? Quo argumento totius Papatus tyrannis arguitur, quando in hoc omnia charitati aduerſantur, & quæ parentibus, liberis, magiſtratibus, coniugibus, vniuerſis denique & ſingulis debentur officia, ſecurè negliguntur, dummodò monachorum regulæ & patrum traditiones in pretio habeantur. Nos itaque Dei gloriam & proximi vtilitatem in omnibus ſpectemus. Ita fiet, vt Chriſti exemplum ſecuti in eodem viuamus, cui debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.*

# CAPVT III.

## HOMILIA XXIII.

ET ingreſſus eſt iterum ſynagogam, & erat ibi homo arefactam habens manum, et obſeruabant eum, an ſabbatis eſſet eum ſanaturus, ut accuſarent illum. Et ait homini habenti manum arefactam: Surge in medium. Et dicit illis: Vtrum licet ſabbatis benefacere, an malefacere? animam ſeruare, an occidere? At illi tacebant. Et cùm circumſpexiſſet eos cum iracundia, condoleſcens ſuper cæcitate cordis eorum, dicit homini: Extende manum tuam. Et extendit, & reſtituta eſt manus illius ſana ut altera.

*Argumentum & uſus præſentis loci.*

*VT homo pro corrupto carnis ingenio in errores facilè prolabitur: Ita ex iiſdem difficulter in viam redire poteſt. Quare in corrigendis erroribus nō modò diligenti, verumetiam frequenti doctrina & admonitione opus eſt. Obſeruat hoc in ſabbati reformatione Chriſtus. Huius religionem omnem in corporis otio Iudæi conſiſtere putabant, & eò vſq; erant progreſſi, vt non tam ſuperſtitioſi quàm ridiculi cenſeri poſſent, ſicuti nuper dictum eſt. Quin (vt Io-*

*Ioā.5.7.9.&c.*

*annes vno & altero exemplo probat) Chriſtum propter opera, quæ diebus ſabbati ſanctiſsima ſimul & ſaluberrima edebat, damnare & faſtidire ſolebant. Frequenter ergo Chriſtus hanc illorum ſuperſtitionem refellit, & vt maior ſit doctrinæ ipſius authoritas, eandem factis miraculoſis illuſtrat. Et nuper quidem oſtendit, ſabbatum propter hominem inſtitutum eſſe, & proinde illos vehementer falli, qui propter hoc ſuam ipſorum ſalutem negligunt. In præſenti verò, ne proximi quidem ſalutem negligi debere docet, & quibus potiſsimum operibus ſabbatum ſanctificari ſoleat. Interim in genere admonemur, externa omnia tum noſtræ tum proximi ſaluti ſeruire, & turpiter errare eos, qui ita illis addicti ſunt, vt propter illa fidei & charitatis officia negligant. Sed præſtat ipſam hiſtoriam inſpicere.*

*Chriſtus ſynagogam ingreſſus docendi occaſionē captat.*

*Matth.12.*

*Chriſti ſtudium in procuranda ſalute noſtra.*

*Chriſtus Ieſus, vt de hac re agendi occaſionem inueniat, ipſo die ſabbati ſynagogam ingreditur, & quidem illorum (vt Matthæus ſcribit) qui paulò ante illum inuidioſè nimis calumniati fuerant. Et mox occaſio offertur, quando illic eſt, qui manum arefactam habens, illius ope indigebat. Hic autem non obſeruatione modò, verumetiam admiratione dignum eſt ardens illud Chriſti ſtudium, quo in hominum ſalute procuranda vtitur. Etſi enim nuſpiam non ipſi inſidientur acerrimi hoſtes, & qui omnia ipſius odioſè carpunt, & ſe hucuſq; nihil aut parum profeciſſe videat: non ceſſat tamen, & ſalutis doctrinam indignis quoque, imò inuitis & reluctantibus offert, nec eas ſynagogas ingredi dedignatur, in quibus phariſæi, hoſtes ipſius acerrimi, dominabantur. Eſt hoc diuinæ naturæ argumentum euidens. Dei enim proprium eſt, perpetuo ſaluandi ſtudio teneri, nec hominum indignitate*